



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de  
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Controversia VIII. De elementis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)



productus, non enim omnes partes subiecti habent temperamentum in eadem indivisibili mensura. Vltimò optimè dici poterit non omnes partes separari, etiam si quilibet habeat temperamentum sufficiens, vt separetur. b alia: quia nulla pars potest separari ab alia, quovsq; habeat corpusculum aliud applicatum, quod occupet intercapedinem relictam, ne detur spatium vacuum inter vtrâque, & cū non sint infinita corpuscula quæ possint applicari infinitis partibus continui ad replendas infinitas intercapedines, quæ resultarent si infinitæ partes separantur, hinc est, quod non possint omnes infinitæ partes simul separari, sed illæ tantû, quibus sunt applicata corpuscula. Hæc ratio rē dirimit in opinione, quæ continuū ex infinitis partibus componit & magni momenti est in sententia, quæ illud constituit ex punctis finitis, quia licet secundum hanc sententiam puncta, quæ reperiuntur in quocunque corpore finita sint, tanta est illorum multitudo, vt moraliter impossibile sit dari aliam multitudinem æqualem corpusculorum, per cuius corpuscula singula, possint singula indivisibilia continui ab aliis separari.

7 Obiiciunt alij: Cælum habet partes quasdam raras, & alias densas, sed cælum non habet aliqua corpuscula intromissa: ergo rarefactio, & condensatio saltem in corporibus celestibus non fit per intromissionem, & expulsionem corpusculorum: ergo neque in aliis corporibus, cum in omnibus eodem modo fieri debeat. Respondeo corpora celestia, non esse propriè, & strictè rara, aut densa, sed impropiè dici partes raras illas, quæ habent admixtas aliquas particulas aliquo modo, in qualitatibus, seu accidentibus ab aliis distinctas, & partes illas dici densas: quæ constant partibus inclusis omnino similibus, sine hac accidentium diversitate in particulis, quas includunt. Itaque, id quod præstant extranea corpuscula intromissa in corporibus sublunariis, quæ propriè per illa rarefunt, id dicuntur præstare partiunculae diversæ rationis ab aliis, cum quibus notabilem cæli partem constituunt, ratione quarum partiuncularum dicuntur partes cæli notabiles, satis impropiè rarefactæ, & densæ dicuntur partes cæli, quæ partiunculas istas in se non habent.


8 Vltimò aduerto pro solutione plurium argumentorum non esse idè, corpus esse subtile, & esse rarum: raritas enim consistit in intromissione corpusculorū iam explicata, subtilitas vero in eo quod corpus parum divisioni resistit, & facile secundum sui partes diuidi possit. Ita contingere potest corpus esse minus subtile nullo admixtum corpusculo, & consequenter summè densum, aer enim si purus sit est nimis subtilis, & nihil raritatis habet. Eodem modo distinguatur durities à densitate, hæc enim dicit approximationem partium, & negationem corpusculorum interiacentium, illa vero resistentiam per modum actus primi ad partium separationem, & difficultatem remotionis vnius partis ab alia, quod à densitate nimium distinguitur.

## CONTROVERSIA VIII.

### De elementis.

#### PUNCTUM PRIMUM.

##### Quid sit elementum.

1 LEMENTVM vulgari significatione sumi solet pro primis cuiusvis rei principiis. Sic litteræ scripturæ elementa dicuntur, quia ex illis primò constituitur, & in eadem vltimò resoluitur. Et principia entis naturalis propter eandem rationem totius elementa dicuntur. Solet enim nomen elementum ad materiam primam distingui, quia ex hac primò omnia fiunt, formæ enim (si rationalem excipias, quæ creatur) siue substantiales, siue accidentales, ex materia educuntur, & ex illa tanquam ex prima origine nascuntur, strictius nomen elementum sumitur pro illis corporibus, quæ non constant admixtione qualitarum contrariarum, sicuti sunt ignis, aer, aqua, & terra.

2 Elementum definit Aristot. lib. 5. Metaph. cap. 3. text. 4. Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. 1.

id ex quo primum infuso, ac indivisibili specie in aliam speciem aliquid componitur. Alio modo lib. 5. de Cælo cap. 3. text. 21. elementum est id, in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus inest, aut potentia, aut aliu. Definitio secunda in primam relabitur, tantum addit ly cætera corpora, quibus verbis clariùs exprimitur elementum debere esse corpus de prædicamento substantiæ, ac proinde materiam & formam his definitionibus non comprehendi. Cæterum hæc definitio satis difficilis est, & perobscura, nihilominus propter Philosophi auctoritatem, & illorum, qui definitiones has admittunt, in quibus est Angelicus Doctor aliquo modo definitiones hæc explicandæ sunt, quod brevissimè præstabo. In illa potest aliquid diuidi, quæ in se continet, & quibus componitur, & eodem modo, quo est continentia, seu compositio, eo modo est diuisio in illa extrema, non enim poterit diuidi totū aliquid in aliquid formaliter sumptū, quod formaliter sumptū in illo non contineatur. Deinde eo modo dicitur aliquid indivisibile, quo nulla extrema distincta in se continet. Sic materia prima, quæ partes, quibus essentialiter componatur non habet, dicitur essentialiter indivisibilis, licet integraliter diuisibilis sit. Vltimò elementa vt probabo Puncto 4. non sunt formaliter in mixto.

Ex his facile est definire quomodo omnia corpora composita seu mixta possint in elementa resolui, cum enim elementa in mixto formaliter non sint, sed tantum virtualiter hoc est, manent virtutes, quæ propriæ sunt elementorum, sic tantum extrinsecè, tantum diuidi possunt in elementa quatenus qualitates præexistantes in mixto diuiduntur in elementa, quæ succedunt, post corruptum mixti formam compositi ex materia mixti, & formis elementalibus productis. Dicuntur sic diuidi, quia non omnes qualitates, quæ erant in mixto remanent in aliquo elemento, sed tantum aliquæ illarum. Ex his notum fiet quo modo elementum indivisibile dicatur, quia cum non possit resolui in aliud compositum, quod paucioribus gaudeat qualitatibus: hinc fit adhuc ratione harum non posse in alia elementa diuidi, neque alia mixta, quæ potius pluribus qualitatibus, & nunquam paucioribus constant. Dicuntur mixta diuidi in elementa, non quia quotiescunque mixtum corrumpitur in elementa resoluatur, in quibus sint diuise qualitates, quæ erant in mixto, sed semper enim mixtum corruptum in aliud resoluatur, quod earundem qualitarum gaudet temperamento, quia tamen post varias corruptiones vltimò ad elementum formam rursus indivisibilem potest deveniri, dicuntur omnia corpora in elementa diuidi. Ex his notum fit, quomodo cætera corpora in elementa diuidantur, & quomodo elementum indivisibile sit secundum speciem.

4 Posset clariùs, breviusque definiri elementum, corpus, quod ex primis qualitatibus duplices tantum gaudet. Quod si vera esset Arriagæ opinio, quæ asserit elementa vnicà tantum potiri qualitate, definiendum esset, corpus, quod ex primis qualitatibus vnicà tantum potitur.

5 Circa elementorum numerum communi sententiâ ratum est, elementa quaternarium attingere, illudque non excedere. Verumtamen huius conclusionis rationem reddere difficillimum est, nonnullas referam, ex his quæ pro hac conclusione circumferuntur. Ignis est leuissimus: terra est grauissima: ergo debent dari duo alia elementa media, vnum quod habeat prope summam grauitatem, & aliud prope summam leuitatem. In eadem recidit ratio alia desumpta ex elementorum positione: Ignis est in loco supremo, aqua in loco infimo: ergo debent dari duo alia, vnum quod sit prope terram, & aliud quod sit prope ignem, quibus quaternarius numerus completur. Confirmatur eadem ratio, infra cælum tantum sunt quatuor spatia, vnum quod cælum attingit & hoc est summum, aliud maximè distat à cælo, quod est terræ centrum, & omnium infimum, aliud prope infimum, & aliud prope summum: ergo tantum possunt dari quatuor elementa, quæ replent hæc quatuor spatia, siquidem nullum potest dari commune spatium distinctis elementis. Rationes hæc parum roboris habent, quia dato igne summè leui, & terra summè graui non ex eo infertur duo alia elementa media danda esse, sed possent tria, vel vnum, vel nullum: quia immediatè collocari elementum summè leue, & elementum summè graue, non implicat, neque ratio est aliqua, quæ cogat in quatuor partes, seu quatuor spatia diuidere totam cælorum intercapedinem vt quatuor elementa illis spatiis correspondeant, posset enim diuidi in

S s 2 tria



tria spatia summum, infimum, & medium, seu in quinque summum, infimum, prope summum, prope infimum, & medium.

6 Alij probant elementa esse quatuor, ex quaternario primarum qualitarum numero, quarum singula singulis elementis in summo respondent. Secundò quia binæ, & binæ hæ qualitates absque contrariarum consortio tantum possunt diuersis quatuor modis comparari calidum in summo, cum siccò prope summum, humidum in summo cum calido prope summum, frigidum in summo cum humido prope summum, siccum in summo cum frigido prope summum. Hæc ratio multis claudicat, in primis supponit numerum primarum qualitarum quaternarium esse, quod nonnulli negant. Secundò gratis supponit qualitates binas, & binas esse constituendas in singulis elementis, quod si quis neget, & asserat posse dari elementum unicâ qualitate contentum difficile poterit impugnari. Tertiò possunt qualitates illæ, binæ, & binæ multis aliis modis disponi; posset enim dari elementum gaudens summo calore, & summâ siccitate, & aliud includens siccitatem in summo, & calorem prope summum, qui duo modi componendi qualitates contrarias annumerari non sunt in quatuor adductis ad quatuor elementa defendenda. His similes, possunt alij plures comparari, quibus elementorum numerus possit augeri. Potest etiam dici quatuor illas qualitates duplici elemento contentas esse, in quibus distribuuntur absque contrariarum mixtione calor, & siccitas in vno elemento, & in altero humiditas, & frigiditas. Vna in summo gradu, & alia prope summum, vel vtraque in summo, si necessum est quamlibet qualitatem in aliquo subiecto summè intesam reperiri. Frigiditas alij ex quatuor humoribus viuents quaternarium elementorum numerum inferunt. Sed hæc ratio non potest mouere Philosophum, est enim pura congruentia, seu quadam similitudo, quæ extremis cognitis videlicet quatuor elementis, & quatuor humoribus, à Medicis circumfertur.

7 Censeo nullâ efficaci ratione posse probari elementorum numerum, sed tantum hoc experientia communique Doctorum autoritate suadendum esse: id enim expressè multis in locis tradit Philosophus, quem sequutus est D. Thomas, & tota Theologorum, & Philosophorum Schola à quibus sine ratione vrgente in re alius momenti recedendum non est, id etiam suadet experientia quæ terram, aquam, aërem, & ignem cognouimus, & non alia corpora, quæ non consent temperamento omnium quatuor qualitarum, & quæ mixta non sunt.

## PUNCTVM II.

### De situ elementorum.

1 DE situ aëris nullus est dubitandi locus, constat enim aërem suprà terram, & aquam situm: ignis, si aliquis est determinatus locus in quo ignis conferuetur, esse omnium supremum nullus ambigit, an verò detur ille locus necne, definiam postea. Terram infimum occupare spatium, & aquam super terram esse, est enim omnino certum, inferitur ex illo Genesis 1. *Congregentur aqua, quæ sub celo sunt in locum vnum, & appareat arida.* Ex quo inferitur terram creatam fuisse aquis coopertam, illisque inferioriorem, non super aquam constitutam, sed sibi innotentem iuxta illud Psalmi 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi, est tamen inter Doctores valde dubium, an de facto terra sit altior aqua, vbi aduerte questionem non de tota terra, & de tota aqua procedere, certum enim est aquam quæ est in fluminibus esse inferiorem montibus, sed de parte illa terræ, & aquæ, quæ cæteris omnibus altior est. An videlicet facta cõparatione inter partem terræ reliquis omnibus aquæ partibus, altior sit terra quam aqua. An videlicet mons omnium altissimus altior sit altissima maris aqua. Aquam terræ esse altiozem defendunt Canus in commentariis primæ partis, Burgenfis, & Catharinus ad 1. cap. Genes. Hos sequutus est Arriaga distinct. 4. sectione 4. Partem hanc probabilem esse tradit D. Thomas 1. p. quæst. 69. art. 1.*

2 Terram altiozem esse mari docet D. Aug. D. Hieronym.

Diu. Damasc. Lippomanus, Caiet. Huncala, & Agil. quos sequuntur & referunt Patres Conimbricenses lib. 1. de Cælo cap. 14. quæstione 4. art. 2. Idem tenent Caietan. in illud Genesis, *Congregentur aquæ*, qui oppositam ridet sententiam, P. Pereira ibidem, P. Soares lib. 1. de opere sex dierum, quibus ego libens assentior. In primis elementum in idem centrum propendere multis demonstrat. P. Clau. c. 1. Sphæræ id efficaciter suadet ex eo quod aqua, & terra idem centrum petat, & per eandem lineam, si enim ex eodem indiuisibili spatio pars terræ & pars aquæ successiue dimittuntur impediuntur ablati per eandem spatij lineam in eundem terminum cientes ergo terra, & aqua idem centrum respiciunt, etiam si terra ratione maioris grauitatis spatium infimum occupet. Ex hac doctrina vires desumit argumentum quod sit ad probandum aquam non esse altiozem terra: si aqua esset altior terræ, pars aquæ terræ eminentior statim dilaberetur, & totam terram irrigaret: sed sic est, quod certis continetur terminis: ergo eminentioribus terræ partibus coarctetur.

Respondent nonnulli aquam etiam terræ eminentiorem non diffuere; quia in se globi figuram retinet, quam naturaliter appetit, & in qua naturaliter conseruetur. Solutio hæc impugnatur ex doctrina tradita, quæ dicitur mus aquam cum terra eundem conficere globum. Secundò etiam si aqua figuram illam appeteret, & obtineret, non illam adeò pertinaciter retineret, vt in tantam altitudinem sublata vtrunque possit aequè pendere retentâ globi figura abique eo quod efflueret. Quod cernitur in aquæ guttulis se rotantibus, quæ tandius globi speciem seruam quandiu appetitus ille, qui petit rotunditatem non vincitur accessu grauitatis quam secum asserat noua aquæ portio, & ita nunquam pars aliqua notabilis aquæ figuram rotundam valet retinere. Respondent alij aquas coarctari ex peculiari prouidentia Dei coarctentis aquas intra certos terminos, quos natura sua transirent, si naturæ auctore non detinerentur. Sic inferunt ex capite 8. Prouerb. *Quando terra lege & gyro vallabat abyssos, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Ex quibus verbis inferunt aquam terræ esse sublimiorem, quia si depressior esset, necessaria non esset lex, ne præteritos transgredere terminos. Rectè contra hanc solutionem obiciunt nostri Conimbricenses testimonium D. Augusti 7. lib. de ciuitate Dei cap. 30. vbi inquit: *Sic Deus administrat omnia, quæ creauit, vt ipsa propriis motibus exerceant, & agere sinat.* Quod ratio ipsa demonstrat, ad quid enim creandum erat elementum semper contra propriam naturam, & propensionem conseruandum? Seu ad quid nobis dicendum est aquam semper violenter detineri in mari, ne totam abluat terram, cum possimus illam naturaliter intra præfixos terminos circumclusam constituere. Neque testimonium ex 8. Prouerbiorum relatum ad rem facit, quia vt bene interpretantur P. Pereirus, & iidem Conimbricenses non commendatur in illo summi artificis potentia, quod aquas terræ imminentes coerceat, ne terram aborbeant, sed quod eas terræ cauitatibus circumscripserit, cum in prima sui conditione, & iuxta ipsarum naturam toti terræ circumfundi deberent.

Secundò certum est, nauim natia sua grauitate adductam velocius descendere cæteris paribus, quam ascendere propria eiusdem nauis grauitate reluctante: ergo si mare altius esset terra, nauis cum è portu discedit segnissimè tineretur, cum tunc ascenderet, quàm cum portum peteret, cum tunc descenderet: sed hoc est contra manifestam experientiam: ergo mare non in modum globi effertur, ita vt supra terram emineat. Rursus si aqua sic allurgeret in modum globi profectò omnes cooperuisset insulas, & nulla apparerent salebrosa loca aquis non sepulta: atqui nõ ita se res habent: ergo aqua non ita supra terram allurgit. Rursus rectè arguunt nostri Lusitani ex experientia, quæ cõpertum esse testantur ab his, qui è Lusitania in nouam nauigant Hispaniâ, postquàm per quindecim gradus è portu discesserit vna hora citius oriri, & occidere Solè in Lusitania existentibus. Quod non ita contingeret si mare terra esset eminentius: citius enim in mari sol appareret, quia semper eminentiora loca citius, quàm depressiora suis ferit radijs, & citius videtur ab his qui suprema loca incolunt, quàm ab alijs, qui in depressioribus demorantur, vt patet in ijs, qui montes conscendunt, quia licet plus distent



ab Oriente, ortum Solis prius intuentur. Rationes hæc ut bene vidit P. Soarez cap. 6. iam citato num. 6. non probant terram esse superiorem mari, sed saltem non esse inferiorem, seu esse æqualem. Superiorem esse probant Conimbricenses ex eo, quod videmus flumina nativo cursu in mare tendere, quod fieri non posset si terra non esset mari eminens. Eandem conclusionem confirmant iidem Conimbricenses cum Pereira ex sacris litteris Psalmi 23. *Ipsæ super maria fundavit eam* nempe terram & Psalm. 135. *Qui firmavit terram super aquas*, & Psalm. 106. *Qui descendunt mare in navibus*. Quibus testimoniis non leuiter indicatur terram sublimiorem esse aqua.

Obiicies pro opposita sententia: in altissimis montibus oriuntur fontes: ergo aqua maris altior est montibus. Consequentia probatur ex principio satis vulgari, quo fertur aquam non posse altius ascendere, quam sit locus à quo descendit. Respondent nonnulli non omnes aquarum scaturigines ex mari originem trahere, sed aquam in ipsis terræ cavernis generari. Non fido huic solutioni, quia non facile designabitur causa à qua aquarum perennes fluxus nunquam interrupti procedant, si ex mari originem non trahunt, neque id de præcipuis fluminibus dici lacæ paginæ consonum videtur, dicitur enim Eccl. 1. *Ad locum unde exiit flumina reuertuntur ut iterum fluant*. Quibus verbis affirmat fieri textus, flumina è mari exire, & iterum in idem recidere, neque alio modo posset per tot annorum curriculum, non ingens incrementum mari contigisse perpetuo fluminum accessu. Neque potest dici tantam aquam in vaporibus resoluam, quanta mari luminum accrescit accessu, incredibile enim est posse tam ingentem aquæ molem in vapores conuerti, sufficeret enim vnus fluminis aqua ad totum aeris spatium vaporibus replendum. Melius respondent Conimbricenses aquam è montibus emanantem per subterraneos meatus ascendere præter propriæ naturæ inclinationem, quia terræ huiusmodi aquas ebibunt, & veluti spongia sugunt accedentibus ad id solis, & aliorum siderum influxibus, quibus incumbit sublimaris mundi utilitates procurare. Vnde putauit D. Thom. in 2. dist. 14. quæst. 1. art. 5. huiusmodi motum violentum non esse, quia natura, atque ordini corporum consonum est, vt inferiora superiorum impressionem sequantur. Id tamen ego non defendo modo, probabilius enim videtur motum hunc violentum esse aquis, quæ natura sua petunt deorsum descendere, licet enim inferiora corpora influxibus calorum subiacent, non semper illos sine aliqua violentia patiuntur. Posse aquam attrahi à terra, & sorsum leuari docet experientia, quæ videmus panem, aliudve corpus porolum aquæ superpositum illam sugere, & omnes panis poros aquâ repleti, etiam si vix exigua superficie primo spatium aquæ tangebant. Vltimò posset aliquis dicere nulla experientia posse probari in altissimis terræ montibus aquas reperiri, quia etiam si videamus in altioribus montibus, ex his quos cognoscimus emanare, forsan alij reperiuntur eminentiores, in quibus nulla reperitur aqua, sunt enim plures montes, quos nondum Cosmographi cognouerunt, neque adhuc ex his, qui Cosmographorum chartis reperiuntur potuit experientia comparari an ex omnium illorum eminentissimo aqua dimanet.

Circa elementum ignis nonnulli ex peremissis arbitrati sunt nullum dari ignem præter hunc, qui apud nos existit: hos sequuntur modò plures recentiores, in quibus annumerandus est Atriaga supra: Pythagorici teste Aristotele lib. 2. de celo cap. 13. text. 73. Ignem in terræ centro constituebant, eumque locum Iouis custodiam, totiusque mundi locum appellabant, vt refert Plutarchus 3. de placitis philosophorum cap. 11. Alij quos refert D. Aug. lib. 2. de Genesi ad litteram, nullum ignem præter caelestem ponebant, è cuius concreione aethereos orbis constabant. Sententia hæc modò partim arrisit perdocto cuidam, è nostris Magistro, qui ad caput primum Genesi defendit primo die creatum esse ignem significatum nomine lucis per illa verba *fiat lux*, & postea quarta die ex partibus purioribus, & defecationibus eiusdem ignis fecisse solem, & lunam & reliqua alia, quæ nihil aliud sunt, quam partes aeris, & ignis inter se valde dense atque concretæ.

Fert communis Philosophorum sententia dari elementum ignis, & supra omnia elementa Lunæ concauo immensitate insidere. Feror in hanc partem non vrgenti aliqua ratione, quam apud authores, qui de re hac agunt non inueni, sed communi Doctorum, & plurimorum Patrum au-

thoritate, qui rem ita tradunt. Ex his citatos inuenies apud Patres Conimbricenses lib. 3. de celo cap. 5. quæst. 1. D. August. D. Hieronim. Clementem Alexandrin. Diogenem, Aristot. Philonem Iudæum, & Plinium. Dari elementum ignis probat D. Basil. hom. 3. exam. quia absque hoc elemento manca, & mutila esset natura, cum illi elementum adeò excellens deficeret omnium actuosius, pollensque calore omnium qualitaturn præcipuè requisita ad productionem, & conseruationem omnium corporum sublimarum. His accedit nullam rationem efficacem adductam naturam huius elementi impugnandam, vt ex solutione argumentorum, quæ subiiciam modò constabit. Propriam ignis sedem esse supra omnia elementa iuxta Lunæ concauum suadet experientia, quæ videmus flammam conari semper sursum euolare.

Obiicies contra præcedentem conclusionem: si daretur ignis elementum in quocunque spatio existeret absumeret corpora contigua, nimisque illius voracitas totum orbem accenderet: ergo non datur talis ignis, & multum expedit vniuersi conseruationi illum non dari. Respondeo ignis actiuitatem compesci, altorum influxu. Nam cum caelestibus corporibus incumbat sublimaribus providere, in hæc influxus exhibent necessarios, ne mutua ipsorum pugna interimantur, & ne potentiorum vi alia non æquæ potentia penitus abso-beantur. Resistit etiam aer innata humiditate, & frigiditate, siue propriâ, siue aduentitiâ, virtuti actiue ignis, ne in illius materiam similem ignis formam introducat, & ita dum aer patitur simul agit, & mutua ipsorum pugna, & actione, & reactione qualitaturn, ita acrimonia carpitur ignis, vt omnibus pensatis præ longo tempore vix incrementum aliquod recipit leui aeris iactura, quam postea idem aer instaurat simili ignis iactura, & sic ex altorum occurfu, & mutua elementorum pugna attemptantur actiones, vt nunquam notabilem partem suæ ditionis elementum aliquod amiserit.

Obiicies secundò: Ignis in propria sphaera, vel pascetur extrinseco aliquo pabulo vel non? Si pasceretur, corpus aliquod in se conuerteret, & ita successiue omnia consumeret: si non pasceretur, corrumpere illico, cum ignis absque pabulo conseruari non possit, vt satis notum est experientia. Respondent Conimbricenses, & ferè omnes Doctores ignem extra sphaeram propriam vndique contrariis iniuriis patere, ideòque statim extingui, ac proinde si extrinseco pabulo alia partes ignis deuo genita non succedant loco illarum, quæ contrariorum impugnatione perire statim totus deficit ignis, in sphaerâ verò propria cum ignis agentibus contrariis non impugnetur, potest diu conseruari, & ita necessum non est nouas ignis partes perpetuo conseruari, ne totus absumatur ignis. His adde extra sphaeram intendere sursum ascendere, & ita aere impetente illius materiam utpote valde tenuem dissipari, & in minutulas diuidi particulas, à quibus forma ignis facile cuiusvis contrarij impugnatione depellitur.

Obiicies tertio: Si inter corpora caelestia, & sublimaria interiaceret ignis, non possent sublimaria frige fieri à caelestibus, quia caelestia non possent medio igne summè calido frigiditatem producere in aere, aliisque corporibus, quin eandem in igne producerent, aliàs agerent in distans, quin agerent in propinquum. Respondeo posse corpora caelestia producere in igne aliquem gradum frigiditatis contra propriam ignis virtutem, & exigentiam, medio quo poterunt frigiditatem illo intensiorem producere in reliquis corporibus, quia non est contra naturam agentis naturalis fortius, & intensius agere in distans, quam in propinquum, quando passum propinquum specialem resistantiam habet respectu effectus producendi. Neque mirandum est gradum frigiditatis in igne posse recipi; frequenter enim experimur reliqua elementa cum qualitatibus contrariis illis, quas exigunt. Neque specialis est ratio propter quam non ita contingat in igne, ex eo enim quod sic fortius agens reliquis elementis tantum inferitur fortius resistere agenti contrario, & ceteris paribus in minori effectû, seu in remissiori calore amisso vincendum esse, non verò non posse, neque in minimo caloris ab illo expulsi, & frigiditatis receptæ contra illius resistantiam superari. Imò oppositum suadet ratio, cum enim calor in igne receptus sit diuisibilis successiue potest ab agente naturali corrumpi, & potest dari agens, quod valeat vnum, vel alterum graduum corrumpere, & non plures, & huius naturæ esse corpora caelestia valde consonum, &

Si 3 necessaria



necessarium est ad totius vniuersi conseruationem, vt hac ratione possint corpora caelestia frigiditatem in reliquis corporibus sublunaribus producere, & ex alia non ita valeant ignem vicinum valde necessario ad attemperandum frigidissimos Lunæ & Saturni influxus penitus absorbere.

**II** Obiectis quatuor ignis valde exiguis ex loco valde distanti valet nocturno tempore conspici: ergo si vasta illa superficies immediata Lunæ concauo ignem contineret, saltem nocturno tempore posset à nobis videri, atqui non videtur: ergo non datur talis ignis. Vulgaris solutio est ignem præ nimia raritate videri non posse; sed alia mihi necessaria est, cum enim raritatem per intromissionem corpusculorum constituam, non congruè ignem in propria regione, vbi peregrina corpuscula raro, aut nunquam accedent, rarum constituam. Melius respondendum existimo lucem ignis exiguum esse, quia valde exigua est ignis grossities, seu valde exiguis ignis interstitiis inter aërem, & Lunam. Eo enim ipso quod per totam Lunæ superficiem sit expansus, ad modum bractæ extenditur, & ita ob tenuitatem grossities, seu profundæ mensuræ, quam habet ignis, non potest ex loco adeò instanti discerni. Dico non posse discerni, quia forsitan ignis lux à nobis videtur per modum vnius cum luce Lunæ, stellarum, totiusque cæli, & illam non discernimus, quia lux cæli eiusdem rationis est cum ignis luce.

**II** Ex his inferitur in prima conditione terram fuisse aquâ vndeque circumdatam, & aquam aëre, & aërem igne, postea verò terram fuisse secundum plurimas sui partes discooperatam à Deo reducende aquam ad certas cavitates, quibus concluditur, & ita superficie concaua, quam modo format aër, immediate cingit secundum aliquas partes aquam, & secundum alias terram, circumdat enim globum quemdam compactum ex terra, & aqua, cuius extrema superficies secundum vnas partes est superficies aquæ, & secundum alias est terræ superficies, vt patet in aëre immediate attingente aquas maris, & fluminum, & reliquam terræ superficiem, quodammodo rotundam non esse satis ipsis oculis monstrant vallium contractus & montium superbia cacumina. An verò initio terram perfectè rotundam Deus creauerit, necne, disputant Doctores in caput 1. Genesis, seu in tractat. de opere sex dierum. Legantur PP. Conimbr. in Problemat. sect. 1. vbi pro vtraque parte Patres, & Doctores adducunt.

### PUNCTUM III.

#### Quid sit Mixtio?

**I** Elementa per ordinem admixta explicantur, & definiuntur, & in mixtis virtualiter, aut formaliter, seu actu vel potentia dicuntur existere, ideo ad perfectam illarum notitiam sciri oportet, quid sit mixtum, & quid mixtio? Mixtum vt distinctum ab elemento dicitur omne corpus constans temperamento qualitatum contrariarum, siue productum fuerit ex congressu elementorum siue alio quocunque modo. Hac ratione mixtum diceretur lignum quod Deus modò crearet, nullâ præsuppositâ materiâ, aut causâ creatâ quæ in illud influeret. Verumtamen cum omnia corpora ab elementis distincta, ex congressu elementorum, aliorumve corporum distinctorum, vt plurimum gignantur, ideo mixta dicuntur, quia in illis remanent mixtibilita, & generatio quæ ex tali congressu resultat, mixtio dicitur cuius naturam in præsentem explicandam suscipimus.

**2** Dari mixtionem statuit communis Philosophorum consensus, & ostendit manifesta experientia, cui suffragatur ratio. Experientia, quia videmus humiditatem, & calorem videntibus ex congressu terræ, aquæ, vaporum, & exhalationum circumfusi aëris ope gigni diuersa corpora, & plura animantia tam vegetatiua, quam sensitiua, qualia sunt tubera, fungi, ranæ, aliæque huiusmodi bestiolæ, quæ non nisi mixtione interueniente crearentur. Causæ producentes dispositiones ad formam mixti sunt, partim mixtibilita, quæ corrumpuntur, vt postea dicam, quæ in ipsorum materiis producere accidentia, quæ disponunt ad formam mixti. Verumtamen hæc mixtibilita non possunt producere ultimam dispositionem ad formam mixti, quia in instanti, in quo est vltima dispositio ad formam mixti producitur forma mixti, & corrumpuntur formæ mixtibilita, quæ in-

formabant materiam in qua introduciuntur formæ mixti, ergo non potest ab his formis vltima dispositio ad formam mixti produci, quia nulla entitas potest in instanti, in quo corrumpitur aliam producere. Producitur hæc vltima dispositio à reliquis partibus mixtibilita, quæ supersunt, in quibus non sit mixtio, necnon causis vniuersalibus per celestes influxus. Forma mixti aliquando poterit produci ab ipsis elementis circumstantibus materiam, in qua producitur, seu aliis extrinsecis agentibus, quæ applicentur, quando ad causam primam recurrere necesse erit, vt in generatione animalium, quæ ex putrefactione gignantur, quæ vt pote viuientia à nullo non viuenti creato produci possunt, & cum nullum viuens creatum superest cui illorum possit tribui productio necessario recurrendum est ad Deum à quo viuientia ista producuntur.

Mixtio sumi solet pro coniunctione diuersarum rerum retentis singularum naturis, siue possint separari, sicut vitum, & horreum separari possunt postquam sunt permixta, siue separari non possint, vel certe non sine magna industria, sicut vinum & aqua cum permixta sunt. Hæc mixtio tantum inuoluit coniunctionem quandam localem, absque alicuius termini substantialis productione, de qua mixtione in præsentem non disputamus, neque de illa quæquam notatu dignum tradi potest. Sumitur mixtio strictè, & philosophica pro vniione diuersarum rerum, quibus certum quoddam resultat distinctum à compositis, ad quæ pertinebant materiæ, quæ vniuntur in mixtione, quam mixtionem dari nuper ostendimus, & est vtilis valde rerum vniuersitati vniuersique pulchritudini, quæ maximopere accrescit multis compositis productis ex aliorum congressu.

Mixtionem definiuit Aristoteles lib. 1. de generatione cap. 10. *Mixtibilium alterarum vniio*: quam definitionem perobscuram, & difficilem esse nullus non videt, quam ad maiorem perspicuitatem posse reuocari nostri Conimbricenses, testantur cap. citato, q. 2. art. 2. ly *vniio*, sumitur pro actione, qua gignitur compositum in quo vniuntur mixtibilita, quæ antea pugnaverant inter se, vt quodlibet alterum in propriam naturam conuerteret, iam verò vni tertio productum, quod mixtum dicitur, vniiri dicuntur, itaque generatio dicitur vniio, non quia formaliter aliqua annexat extrema, sed quia ex vi illius producitur mixtum, seu compositum, in quo extrema contraria, seu mixtibilita vniiri dicuntur. Ceterum possunt dici extrema mixtibilita vnita in mixto, quia in hoc vniuntur materiæ mixtibilita, eo enim ipso quod ex contentu aquæ, & terræ tertium aliud compositum resultat, pars materiæ, quam ministrat aqua huic tertio resultanti, vniitur parti materiæ, quam ministrat terra, & ita in hoc mixto materiæ mixtibilita vniuntur, quod sufficiens est, vt ipsa mixtibilita vnita dici possint. Aliter ego existimo dici mixtibilita vniiri in mixto, eo videlicet modo, quo dicuntur in mixto permanere, ex eo enim quod in mixto permaneant qualitates elementorum dicuntur elementa manere virtualiter, seu in potentia in mixto: ergo dicuntur vnita in mixto, in quo dicuntur esse, ea enim quæ sunt in illo, dicuntur in eodem vnita.

Mixtionem plures alij definiunt: *Generatio corporis resultantis ex contrariarum congressu*. Generatio quid commune est educationi elementorum, & reliquorum mixtorum, reliqua explicant, quæ sunt propria mixtionis, videlicet alterationem mixtibilium, quam importat istorum congressus, similiter vniionem materierum, quæ erant sub formis mixtibilium, quia eo ipso quod resultat vnum tertium ex mixtibilita contrariis, illorum materiæ necessario debent vniiri, vt in vtrâque iam vnâ per vniionem constituta recipiatur forma mixti: excluditur etiam per hanc definitionem generatio quæ vnum corpus siue elementale, siue mixtum aliud conuertit in substantiam sibi similem, v. g. actio qua ignis ignem generat, siue ex alio elemento, siue alio mixto, quia hæc actio non resultat ex congressu contrariarum, sed tantum ex virtute ignis, qui aliud contrarium imperit, vt illud in propriam substantiam conuertat. De mixtione multa prolixè satis Medici scribunt, multasque conditiones illius assignant, octo enumerat Mercatus lib. 1. claus. de elementis, art. 4. ex quibus nonnullæ falso nituntur principio, videlicet elementa manere formaliter in mixto, & ideo non subsistunt, aliæ ex definitione tradita facile deducuntur.



PUNCTUM IV.

*An elementa maneant actu formaliter in mixto.*

**1** Elementa manere in mixto non solum in potentia, & virtualiter ratione qualitaturn, sed formaliter secundum proprias istorum formas sensere ex antiquis Philosophis Anaxagoras, & Empedocles, insuper Stoici, quorum vestigiis insitit Auerroes, & Averroes apud Combr. lib. 1. de generat. cap. 1. q. 3. Sententiam hanc pugnantissimè defendunt quam plures Medici, illam ex recentioribus propugnant Peramatus lib. 1. de elementis, cap. 18. & Mercatus lib. de declaratione artis Medicæ, clas. 5. de element. art. 4.

**2** Elementorum formas non manere formaliter in mixto defendunt Angelicus Doctor lib. 1. de generatione, c. 10. & q. 5. de potentia, art. 7. in corpore, & 2. contra gentes, cap. 56. & 1. p. q. 76. art. 4. Scotus in 2. dist. 15. quæst. unica. Vtrumque ducem omnes Theologi, atque Philosophi vtriusque scholæ sequuntur, quos citatos inuenies apud nostros Combr. supra, & apud P. Suarez in Metaph. disp. 15. sect. 10. à n. 51.

**3** Ex Medicis eandem sententiam acutiores sequuti sunt, illam defendunt Vallesius lib. 1. Controu. Medic. cap. 1. Segarra lib. 1. de natura hominis, Commento 4. Thomas de Garuo in summa, tract. 1. cap. 1. Petrus García lib. 1. super Fen. disp. 7. c. 3. vbi latè probat hanc fuisse Galeni sententiam, dolendumque profecto, ait, Medicos aliquos testimonis, & rationibus iam ab aliis explicatis, & solutis, sibi oppositam sententiam persuasisse. Sententia hæc est omnino certa, & longè probabilior.

**4** Quia tuta nulla, multæ supersunt viæ rei non verè defendende, idè in diuersas distracti sunt, qui defendunt elementorum formas in mixtis formaliter permanere: affirmant aliqui formas elementorum esse in diuersis partibus materiæ adeò exiguas, vt sensum subterfugiant, ita ex Medicis Vega lib. 1. methodi, cap. 1. Alij, qui affirmant in eadem parte materiæ esse omnes elementorum formas, in duplicem sententiam sunt diuisi. Quidam asserunt has formas non esse in materia secundum totam suam perfectionem, sed secundum aliquos remissionis gradus: ita Commentator comminiscetur. Alij dicebant, formas mixti non esse specialem aliquam formam, sed commixtionem formarum elementorum, quæ omnes simul mixtum constituunt. Sic sentit Aureolus in 2. dist. 15. vt ibidem testantur Capreolus & Gregorius. Alij formas secundum totam suam perfectionem in qualibet materiæ parte constituunt, asserunt tamen illis superaddi formam mixti, quæ vltimum totum substantiale completum absolute perfectum constituit: hic dicendi modus familiarior est recentibus Medicis.

**5** Quomodoque sententia hæc defendatur ingentes patitur difficultates: in primis commentatoris sententia omnino est commentitia, quia formas elementorum substantiales sunt, nulla autem substantialis forma gradus habet intensiōis, & remissionis, omnis enim substantialis forma indiuisibilis est, & infectilis versus intensiōem. Primum dicendi modum videlicet formas elementorum esse in diuersis materiæ partibus sic impugnatur: sunt plura tota mixta omnino homogenea secundum partes sui: ergo partes illæ habent idem temperamentum: ergo non datur vna pars gaudens forma ignis, alia forma aquæ, alia forma aëris, alia forma terræ, aliàs hæc omnes partes essent valde heterogeneæ, cum diuersas formas substantiales elementales specie distinctas includerent. Rursus secundum hunc dicendi modum forma mixti conseruatur in hac particula materiæ, cum hac elementi forma, & sine formis aliorum elementorum, verbigratia, cum forma ignis sine formis terræ, aquæ, & aëris, sed hæc pars formæ mixti est eiusdem rationis cum aliis: ergo sicuti hæc conseruatur habens tantum formam elementi ignis, sic reliquæ alia partes eodem modo conseruari poterunt. Idem argumentum conficio de alia particula, quæ conseruatur in alia materia cum forma terræ sine formis aliorum elementorum, ex qua argumentum conficio ad reliquas partes eiusdem formæ mixti, quæ cum eadem forma poterunt conseruari, & necessarii non erit concursus omnium elementorum ad constitutionem mixti, sed sufficit vnæ, vel alteram formam elementi reperiri ad cuiusque formam

mixti conseruandam. Vltimò contra hunc dicendi modum faciunt argumenta, quæ adducam postea petita ex repugnantia multiplicis formæ in eodem subiecto, quia licet iuxta illum non ponantur elementorum formæ in eadem parte subiecti, ponuntur tamen in eadem subiecti parte indiuisibiliter sumpta forma vnus elementi, & specialis mixti forma.

**6** Eadem argumenta petita ex repugnantia multiplicis formæ in eadem materia impugnant modum dicendi Aureoli, iuxta quem mixti forma non est aliqua simplex entitas, sed aggregatio omnium formarum elementorum, quibus addenda sunt alia, quæ sententiam hanc esse valde absurdam manifestè ostendunt: in primis secundum hunc dicendi modum non poterunt mixta substantialiter differre, sed tantum magis, & minus, quia omnia mixta includerent easdem formas substantiales, v. g. quatuor formas elementorum. Adde neque secundum magis, & minus adhuc accidentaliter danda esse mixta diuersa. Quia substantiales elementorum formæ magis, & minus non recipiunt: ergo eo ipso, quod materiæ duplicis mixti haberent easdem in specie formas elementorum, in nullo possent differre, cum dici non possit has formas secundum diuersos gradus intensiōis, & remissionis in materiis reperiri. Dices differre accidentaliter ratione diuersorum accidentium. Contra: accidentia diuersa oriuntur ex diuersa substantiali forma, quæ est radix accidentium: ergo si formæ elementorum essent omnes eiusdem rationis absque vlla varietate substantiali, ex nullo capite posset peti accidentium diuersitas, potius ex formarum substantialium similitudine, & vniformitate, similitudo, & vni-formitas accidentium esset inferenda. Vbi enim est forma, quæ est principium accidentium, eiusdem omnino rationis, accidentia quæ ex forma oriuntur omnino eiusdem rationis esse necesse est. Deinde secundum hunc dicendi modum de medio tollitur generatio substantialis vnus mixti ex alio, quia cum omnium mixtorum forma substantialis eadem esset, non posset corrumpi forma huius mixti per aduentum formæ alius mixti. Rursus cum mixtum in elementum solueretur, nulla daretur substantialis generatio, sed tantum pura corruptio formarum elementorum, quia mixtum secundum hanc sententiam tantum differt ex eo, quod materia mixti habeat formas omnium elementorum, & materia elementi vnica tantum forma potitur: ergo vt materia mixti transeat à forma mixti ad formam elementi, non aliqua forma producenda est, sed tantum corumpendæ sunt formæ elementorum distinctorum ab illo, in quod mixtum dicitur resolui: includebat, v. g. mixtum formam ignis, aëris, aquæ, & terræ, vt resoluatur in aquam necessum non erit produci formam aquæ, quæ iam est in materia, sed corrumpi formas ignis, aëris, & terræ. Vltimò absurdissimum est dicere viuientia non habere specialem aliquam formam, sed tantum aggregationem formarum elementalium principium esse vitalium actionum, infertur enim elementa viuere, quod nemo non nimis amens dicere audebit, neque aliquis non malè sentiens in rebus fidei diuinæ poterit sic in homine philosophari, quia mixtorum numero continetur.

**7** Contra vltimum dicendi modum, quo in eadem indiuisibili materia constituuntur elementorum formæ, cum mixti forma superaddita, & contra omnes modos, qui in eadem materia duplicem formam constituunt, procedunt argumenta, quæ iam subiicio.

**8** Primum esto, quod sufficiens esset ad rem conuincendam, etiam si alia fortiora non suppetere: Hæc formarum multiplicatio necessaria non est, sed omnino superflua, & impertinens: ergo ponenda non est. Antecedens probatur: specialis forma mixti seclusis aliis elementorum formis, sufficiens est ad actuandam materiam, & ad constituendum mixtum constans temperamento quatuor qualitaturn: ergo elementorum formæ necessariae sunt in materia, quam actuat mixti forma. Confirmatur, si propter aliquam rationem necessariae essent elementorum formæ in mixto, maximè vt essent principium primarum qualitaturn, quibus eget quodlibet mixtum. Sed hæc qualitates possunt provenire, & de facto proveniunt à forma mixti: ergo ex hoc capite elementorum formæ necessariae non sunt. Minorem probatur: omnia mixta secundum sententiam, quam impugnamus, habent in se omnium elementorum formas, & tamen in hoc plus viget calor, & in illo frigiditas, in alio siccitas, & humiditas in alio: ergo excessus ille huius



qualitatis præ omnibus aliis in hoc mixto speciali non provenit ex formis elementorum, siquidem hæc æquæ afficiunt omnia mixta, sed ex speciali forma mixti: ergo sicuti ab hac forma mixti provenit hic excessus huius qualitatis præ aliis, poterit tota qualitas secundum se procedere: ergo qualitas innata huic mixto non arguit in illo formam elementi, quam in summo gradu qualitas illa comitatur, sed in gradu non summo communem reliquis mixtis & in illis sine forma elementi reperiri potest, sicuti calor ab extrinseco productus reperitur in aqua, in qua non est forma ignis, quam calor summè intensus comitatur. Eandem rationem magis confirmabunt solutiones argumentorum, quibus Medici probare intendunt formas elementorum in mixtis reperiri.

IO Secundò contra eandem sententiam argumentor sic: forma mixti supponit formas substantiales elementorum: ergo supponit iam materiam substantialiter actuatam: ergo forma mixti non constituit cum materia unum per se, sed unum per accidens, & mixtum non est constitutum unum per se, sed unum per accidens constans ex formis elementorum, & ex forma mixti. Probo consequentiam: Quod advenit toti iam constituto, seu materię iam substantialiter actuatæ non potest cum materia unum per se constituere, sed unum per accidens, quia forma constituens unum per se materiam actuat, & totum constituit, ac proinde non potest ipsa supponere antecedenter ad ipsam, quod ipsamet debet præstare: sed forma mixti supponit materiam actuatam formas, seu formis elementorum: ergo non potest illam primo substantialiter actuare, & cum illa totum per se constituere.

II Respondet Mercatus formas elementorum actuare materiam illam disponendo ad formam mixti, quia sunt actus materiales, potentiales, & subordinati respectu formæ mixti, ad quam disponunt, quippe talis naturæ est informatio, & actus elementorum, ut habeat rationem actus respectu materię, comparetur tamen ut potentia ad formam substantialem advenientem, quæ dat esse specificum, & ob id mixtum unum dicitur, & illius forma, advenit enim in potentia ad illam, quia actus elementorum se habet veluti potentia, & dispositio ad formam mixti. Multa hic involuntur, quæ longam ferrent impugnationem ni brevissima omnia spectarentur correntia. In primis formam substantialem dari subordinatam alijs formæ substantiales, ad quem disponat, involuit manifestam repugnantiam, est enim contra conceptum substantię esse dispositionem ad formam substantialem, quia dispositio est propter illud, ad quod disponit & non propter se ipsam; de conceptu autem substantię est intendi propter se, & non propter aliud, & hanc rationem dixi Controuersi. 3. Physic. Punct. 2. §. 4. repugnare in eodem subiecto duplicem formam substantialem, quarum una alteri sit subordinata. Secundò manifestam involuit implicationem formas elementorum esse actus respectu materię, & comparari per modum potentię ad formam mixti, quia formæ elementorum non possunt comparari tanquam potentia, quæ in se sit actuanda respectu formæ mixti, quia forma mixti non actuatur, aut informat formas elementorum, sed materiam in qua sunt hæc formæ, si cum forma mixti coniunguntur, sed tantum dici possunt potentia ad formam mixti, quatenus reliquunt in potentia materiam, ut actuatur mixti forma, sed eo ipso quod actuatur materiam non illam relinquunt in potentia ad aliam formam, quia materia per hanc formam semel actuata non potest in sensu composito per aliam actuari: ergo implicat formas elementorum actuare materiam, & illam relinquere in potentia ad aliam formam. Rursus efficaciter probo materiam eo ipso quod actuatur formis elementorum actuari illis tanquam vltimo actu, & non tanquam dispositione ad aliam mixti formam recipiendam. Forma ignis seiuncta ab alijs formis, materię vnita constituit compositum substantiale, videlicet ignem vltimò constitutum, & completum, & vndique perfectum, atque adequatum: ergo etiam si simul cum illa formæ aliæ eandem materiam informant, idem constituet compositum, eodemque modo perfectè adequatum, & completum: ergo constitutum illud ex materia, & forma ignis non ordinabitur tanquam materia, & potentia ad formam mixti, cum qua totum adequatum constituitur, quia nullum totum adequatum ordinatur ad componendum aliud cum alia forma superaddita, est enim contra rationem adequati

ordinari ad aliud componendum. Respondet Mercatus formam ignis, & cuiusvis elementi constituit totum completum, & vndique adequatum, quando non est alia forma nobilior, quæ totum constituat, secus quando illi adiungitur forma alia perfectior, tunc enim non constituit compositum forma elementi, quæ ignobilior est, sed nobilior alia, quia omne totum constituitur per formam vltimam, & nobiliorem. Hinc in mixto non constituitur totum per formas elementorum, sed per speciem mixti formam, quæ est omnium perfectior, atque nobilior tribuens toti composito esse specificum. Solutio hæc facilius refellitur, quam refertur. Forma ignis vnita materię siue eidem materię adiungatur alia forma siue non, semper est eadem: ergo semper constituit idem compositum, quod nihil est aliud quam materia, forma, & vnio: ergo si quando est in materia sine alijs formis, constituit compositum absolutè perfectum, & vndique adequatum, idem constituit etiam si eidem materię forma alia adiungatur, quæ si ex se sufficiens sit compositum constituere, constituet aliud communicans in materia cum composito, quod alia forma constituit, & ab illo distinctum secundum formam à qua differentialis essentię ratio desumitur. Ex his inferatur quod si eandem materiam formæ elementales, & specialis forma mixti afficerent, essent plura composita, & verè materia illa componeret quodlibet elementum, & absolutè verum esset dicere: hoc est ignis, & hoc est aer, &c. & æquè bene verificaretur quælibet propositio, ac verificatur modò de simplici elemento seorsim sumpto.

Convincit etiam non posse in eandem materiam elementorum formas coire manifesta pugna, quam perpetuo inter se gerunt elementa, cum enim qualitates habeant inter se contrarias medijs quibus mutuo se impugnant, quodlibet intendit aliud destruere, illudque in propriam naturam convertere. Quod si elementales formæ possent in eodem subiecto componi, quorum unum elementum alterius formam destrueret, cum posset propriam formam in illius materiam introducere, & materia illam admitteret propriam retentam, & harum formarum communicatio mutuo fieret; si enim congrederentur ignis, & aqua, ignis in materia aquæ formam ignis produceret, cui non resisteret forma aquæ, quæ compossibilis fingitur secundum sententiam, quam impugno, cum formæ ignis, viresque rependeret aquæ, quæ eodem modo propriam formam produceret in materia ignis, in qua amico sedere cum ignis formæ coniungeretur. Dices formas inter se pugnare ratione qualitatum, quas secum afferunt. Hoc ego non nego, sed intendo idem dicendum esse in mixto, in quo formæ elementales reperiri non poterunt, ratione qualitatum, quas secum afferunt, quarum, qualitates cuiuslibet elementalis formæ impossibiles sunt cum qualitatibus aliarum formarum elementarium, & specialis formæ mixti. Dices in mixto mutuo has qualitates attemperari aduentu contrariarum, & aduentu formæ quæ exigit qualitates contrarias illis, quas alia forma exposcit. Ex hac solutione vires resumit mea argumentatio; in mixto attemperantur qualitates, ita ut sint in gradibus remissis, etiam si formæ illas in gradibus intensis exposcebant: ergo eodem modo poterunt attemperari in materia, in qua formæ duorum elementorum conueniunt. Mitto hanc attemperationem fictitiam esse, nunquam enim ignis existit cum maiori intensione frigiditatis aduertiæ, quam innati caloris, quod contingeret in omnibus mixtis quæ frigiditate præminent, si elementalem ignis formam continerent, sic etiam contingeret in formis elementorum omnium, quod alienum est ab omni veritate, formæ enim quæ secum afferunt qualitates impossibiles, impossibiles sunt in se ipsis, & ex impossibilitate qualitatum rectè inferimus impossibilitatem formarum substantiarum, quæ sunt harum qualitatum radices. Mitto alia plura, quæ contra hanc sententiam possem adducere, ne in re omni fundamento destituta longiore, quam par est disputationem instituerem.

Præcipuum fundamentum, quo Medici mouentur ad afferendum elementa manere formaliter in mixto petunt est ex autoritate Aristotelis, & Galeni. De Galeni autoritate Philosophus non medicus multum non curabit, verum Vallesius, & Garcia, quibus per otium datum est Galenum consulere, multis contendunt ab hac mente longè fuisse Galenum, iam de mente nostri Philosophi probant Cōnimbricens. suprà artic. 3. numer. 1. eam fuisse,



fuisse, formas elementorum non manere formaliter in mixtis, sed corrupti formam cuiusque elementi ad introductionem formæ mixti. Idem late ostendit Petrus Garcia cap. 3. citato, ubi rectè explicat nonnulla testimonia, quæ pro opposita sententia Mercatus, & alij adduxere. Verumtamen elementa aliquo modo in mixto contineri negandum non est, id enim fert communis loquendi modus Philosopho satis familiaris, qui cum elementum definiunt dixit manere in mixto actu, aut potentia, idem necessum est explicare quomodo elementa dicantur permanere in mixto, ut ex modo quo hæc loquutio intelligatur, explicacionem accipiamus testimonia Philosophi, quibus opposita sententia suaderi intenditur. Sentio elementa dici virtualiter in mixtis manere, quia in his remanent illorum virtutes, hoc est qualitates primæ, quæ sunt virtutes elementorum, illæ enim qualitates, quæ summè intente in elementis reperiuntur, in quolibet mixto in gradibus remissis reperiuntur. Sic explicat Angelicus Doctor existentiam elementorum in mixto 1. part. question. 56. artic. 14. ad 4. ubi hæc habet: *Et ideo dicendum est secundum Philosophum in 1. de generat. quod formæ elementorum manent in mixto, non actu, sed virtute: manent enim qualitates propriæ elementorum licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementorum.*

Arguunt secundo Medici: quando perit mixtum resoluitur in quatuor elementa: ergo elementa formaliter in mixto continentur; consequentia videtur efficax, quia nihil potest resolui in illa, quæ formaliter non includitur, totum enim resoluitur in partes, quibus constat, & quodlibet ens in illa, quæ in se continet. Antecedens probatur: Quando comburitur lignum adest ignis, & adest aqua, nempe humor ille aquosus, quo lignum quasi sudare conspiciamus, adest terra, videlicet cinis, & non deest aer, qui in fumo conspiciuntur; ergo in resolutione mixti dissoluntur quatuor elementa, quæ in illo erant quasi inoluta, & cooperta formâ mixti. Nihil contra nostram sententiam concluderetur, etiam si corruptionem cuiusque mixti comitarentur quatuor elementa, in quæ resoluti diceretur, quia facile dici potest elementa tunc generari. & prius tempore non præcessisse, dum forma mixti permanebat, quia corruptio mixti non contingit sine noua aliqua generatione, cum agens naturale per se corruptionem non intendat, sed generationem. Ex hoc principio rationem conficio, quia non solum satisfacio prædicto argumento, verum etiam oppositam sententiam impugno. Quando corruptitur forma mixti: verbi gratia, lignum, resoluitur in quatuor elementa, ut in obiectione traditur, & nulla alia forma distincta à formis elementorum succedit formæ mixti corruptæ; ergo formæ elementorum producuntur in illo instanti, in quo corruptitur forma mixti, quia nunquam contingit corruptio formæ sine noua alius productione, cum autem nulla appareat forma, quæ producatur cum corruptitur mixti forma secundum doctrinam, quam obiectione continet, necessum est aliquam elementalem formam produci, quod signum est non præcessisse in mixto, quia si antea præcessisset, non modo primo produceretur. Secundo forma mixti corruptitur ex vi formæ existentis in materia, quam informabat, in eodem instanti, in quo illa definit esse, sed secundum hunc dicendi modum in materia mixti tantum reperiuntur formæ elementorum in instanti, in quo forma mixti corruptitur: ergo forma mixti impossibilis est cum formis elementorum; ergo non potuit habere cum illis materiam communem, dum existebat, quam si habuisset, nunquam expelleretur à materia ex vi illarum, non enim potest forma expelli in hoc instanti à materia ex vi alterius formæ, cum qua tempore precedenti in eadem materia fuerat commorata. Ad illud quod dicitur deberi contineri in toto illa, in quæ resoluitur, Respondeo: resolutionem posse fieri præcisè per separationem extremorum, in quæ fit, vel per productionem illorum: cum fit præcisè per separationem, necessum est præcessisse extrema, in quæ fit resolutio, quando verò fit per productionem illorum, necessum non est extrema præcessisse in toto, seu in ente, quod resoluitur.

Secundo Respondeo in combustionem ligni, & sic in corruptione omnium mixtorum, non reperiuntur resolutionem in quatuor elementa factam, quia substantia aquosa, quam ignis per extrema ligni extrahit, aqua non est, sicut non est aqua humor ille, qui virtute ignis ex floribus, herbisque artificiosè exprimitur, sed est humor quo arbor nutreba-

tur, vel quod verius iudico, est sudor arboris, seu resina, aliûve resinaceus humor, qui in ligno includebatur, vel forsitan, ut alij volunt erit aqua, quæ in poris lignis illiusve foraminibus erat detenta, postquam pluiarum vi intra ligni foramina penetrauerat. Cinis non est terra elementum, sed substantia terra valde similis, seu partes ligni, quæ virtute ignis corruptioni non potuerunt resistere. Similiter fumus aer non est, sed substantia alia aëri valde similis, vel ligni particula, quæ præ nimia humiditate non potuerunt perfectè concoqui, & in substantiam perfectam ignis conuerti, seu in flammam accendi, si substantiæ sunt magis fumosæ, quod magis humida; & illæ, quæ sunt nimis siccae veluti carbo, parum, aut nihil fumi excitant.

Agunt tertio Medici: Mixto est elementorum vni; ergo in mixto reperiuntur elementa vni. Rursus in mixto reperiuntur qualitates elementorum; ergo reperiuntur elementorum formæ, quia qualitates elementorum nunquam non proprias eorumdem formas comitantur. Deinde si elementa dicuntur contineri in mixtis ex eo tantum, quod in his illorum qualitates contineantur, vnum elementum in alio contineri dicitur, quia vnum elementum continet saltem in gradu remisso qualitatem, quam aliud continet in gradu summè intenso. Vt in congressu elementorum, vel neutrum vincit, & sic illo quodlibet propriam retinet naturam, & mixti generatio non fiet, vel vincit vnum, quod si fiat, hoc vincens in propriam naturam alia elementa conuertet, & sic non continget mixti generatio; vel omnia vincunt elementa, & sic omnia propriam formam producent in materia, & fiet mixtum includens omnium elementorum formas. Respondeo, *Ad primum*, elementa vni in mixto non formaliter ratione formarum, sed virtualiter ratione qualitatum, quia omnes qualitates quatuor elementorum in vnum mixtum conflunt, eadem enim ratione, qua dicuntur elementa esse in mixto, dicuntur vni in illo, vel vni dicuntur, quia illorum materies, quæ diuise erant in elementis, vniuntur in mixto, & vnam materiam efficiunt, eadem enim ratione, qua dicuntur elementa permanere in mixto, in illo vni dicuntur, ut Puncto præcedenti dicebam. *Ad secundum* dico qualitates elementorum comitari proprias elementorum formas in illa intentione, quam in eisdem qualitatibus exigunt elementales formæ, in remissiori autem communes esse quibusvis compositis. *Ad tertium* dico nullum elementum dici esse in alio, quia nullum continet omnes qualitates, quas continet aliud. *Ad vltimum* dico in congressu elementorum nullum absolute vincere, sed vinci omnia, quia corruptis omnium formis tertia alia ab omnibus distincta ex illorum assurgit congressu.

## PUNCTUM V.

*De primis qualitatibus.*

PRIMÆ qualitates dicuntur, quæ neque ex aliis, neque ex se mutuo fiunt, sed ex ipsis oriuntur ceteræ, quæ definitio tantum potest comprehendere calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, & his omnibus competere, si dantur certum est: competit definitio his qualitatibus, quia illarum nulla fit ex aliis qualitatibus, hoc est quia nulla resultat ex commixtione aliarum qualitatum, hoc enim sonat fieri ex aliis, non verò non produci ab alia, vel ab aliis qualitatibus, lux enim caloris est productiva iuxta vulgarem sententiam, nihilominus calor qualitas prima dicitur, quia non fit ex temperatura aliarum qualitatum neque primarum, neque secundarum, & sic frigiditas, humiditas, & siccitas. Insuper ex harum qualitatum commixtione fiunt omnes qualitates, quæ fiunt ex aliquarum attemperatione, color enim, & sapor, & alia huiusmodi qualitates resultant ex attemperatione, tum caloris, & frigiditatis, tum humiditatis, & siccitatis inter se, ita ut entitates in quibus hæc qualitas magis eminet, hic color magis cluceat, sic nimis calida nimia afficiuntur nigredine. Consistit ergo ratio primæ qualitatis in his duobus, videlicet in eo quod qualitates, quæ primæ dicuntur non fiant ex aliarum attemperatione, & in eo quod reliquæ qualitates ex ipsarum temperie resultent. Sic lux prima non dicitur qualitas, quia licet non fiat



ex aliis qualitatibus, non tamen ex ipsa cum aliâ attemperata resultat qualitas alia in eodem subiecto, in quo ipsa est. Similiter, etsi detur, colores medios resultare ex commixtione colorum, qui summè opponuntur, & dicuntur extremi, nihilominus colores extremi primæ qualitates non dicuntur, quia ipsi ex commixtione aliarum qualitatū resultant. Neque ideo propriè primæ qualitates non sunt calor, & frigiditas, siccitas & humiditas, quia ex illis non oriuntur lux, sonus, impulsus, & aliæ similes, quia hæ qualitates, ex nullis aliis fiunt, & non est proprium primarum qualitatū, ut omnes qualitates, quæ primæ non sunt ex illis fiant, sed ut omnes qualitates, quæ fiunt ex commixtione aliarum, & secundæ dicuntur, fiant ex illis, quod conuenit quatuor qualitatibus assignatis respectu omnium, quas agnoscimus deseruiens ad generationem sublarium, in ordine ad quas, qualitates illæ definiuntur, & primæ dicuntur. Ex his inferes lucem, sonum, impulsus, potentias vitales habitus intentionales, actusque potentiarum non esse qualitates primas, neque secundas, non primæ quia ex illarum commixtione aliæ non resultant in eodem subiecto: non secundæ quia huiusmodi qualitates non resultant ex aliarum commixtione.

2. Ex qualitatibus primis connumeratis calorem esse entitatem positivam fatentur omnes, illiusque actiuitas satis demonstrat. Negarunt id frigori nonnulli asserentes esse priuationem caloris, errarunt tamen turpiter, quia frigus positivè influit, & aliud frigus producit, quod experientia monstrat, quando corpus frigidum alijs corpori applicamus, statim enim corpus applicatum frigiditatem concipit à corpore frigido progenitam. Neque corpus frigidum aliud frige facit præcisè per negationem caloris, quia nullum agens immediatè negationem producit, & ita nusquam posset ab agentis naturali frigiditas produci, neque destrui calor, cum nullum naturale agens sit immediatè destructivum alicuius entitatis, sed tantum destruat quatenus ponit entitatem impossibilem cum destructa. Quod si dicas agens naturale producere qualitatem aliquam media qua destruat calor, & illius succedat negatio, quam tu frigiditatem appellas, non negationem illam, sed entitatem positivam, quam dicis principium esse talis negationis, frigiditatem appellare deberes, siquidem secundum hunc dicendi modum semper qualitas illa negationem comitaretur, meliusque effectus positivos quos in corpore frigido experimur qualitati positivæ, quam puræ negationi tribuuntur, in quibus præcipuus est sensatio, sentimus enim corpus frigidum, & magis frigidum, non possumus autem sensu tactus negationem sentire.

3. Alij apud Conimbric. quæst. 2. art. 2. affirmant calorem, & frigiditatem esse entitates positivas, humiditatem verò non esse qualitatem, sed substantiam fluidam, siccitatem verò huius substantiæ priuationem, hos sequutus est Arriaga disput. 4. sect. 2. subsect. 1. Communis tamen sententia, fert humorem, & siccitatem esse qualitates positivas substantiæ superadditas, ita Conimbric. suprâ, qui affirmant sententiam hanc luculenter probatam fuisse à Plutarcho in libello de primo frigido, firmius huius sententiæ fundamentum mihi est omnium Philosophorum consensus, in quibus præcipuè Medici dari has qualitates acerrimè defendunt. De mente Aristot. dubitari non licet, sæpe enim de his qualitatibus agit multis in locis præcipuè lib. 2. de generatione per totum, maximè capite 2. ubi illas definit. Accedit communi Doctorum consensui experientia, qua tactu has qualitates sentimus cum enim vestes aliave corpora tangimus, sentimus humiditatem & siccitatem & dicimus, corpus hoc est humidum, vel siccum. Dari has sensationes, quibus dicimus sentire humiditatem & siccitatem nullus sensatus negabit, poterit tamè dici tunc non sentiri speciales qualitates, sed substantiam ipsam aliasve qualitates communes, neutrum autem verè dici sic probo. In eodem corpore modo calido, modo frigido sentimus humiditatem, & siccitatem, quantumvis enim lapis calefiat, aut frigeat sensu tactus illius siccitatem percipimus, & quantumvis calida frigidave qualitas sit illius humiditas tactu percipitur: ergo illud quod tangimus cum dicimus tangere humiditatem, & siccitatem, non est calor, aut frigiditas: ergo non est qualitas aliqua distincta ab speciali humiditate, & siccitate, nulla enim apparet cui possit sensatio ista specialiter

tribui. Secundò cum medicus tangit carnes infirmæ iam diu purida febris laborantis, in quacunque intentione aut remissione calorem, & frigiditatem habeant, antequam pulsus atteret, illiusque gradus noverit, sæpe gravitatem morbi cognoscit ex siccitate, quam tangit in carnibus: ergo tunc non tantum tangit calorem aut frigiditatem, ut contendit Arriaga, sed aliquid aliud, siquidem in eisdem carnibus diuerso calore, & frigore affectis eandem semper siccitatem præsentit. Confirmatur: sensus tactus discernit inter substantias, quas vocamus humiditas, & inter illas, quas siccitas appellamus, quam discretionem non facit sensus visus, non enim ex visu poterimus comparare notitiam, qua dicamus, corpus hoc est frigidum, vel humidum, quam sensu tactus percipimus, cum enim scire volumus, an vestis sit humida, vel secca, non illam oculis inspicimus, sed manu tangimus: ergo hoc per quod substantia constituitur humida, seu per quod habet illud, ratione cuius humida dicitur, siue sit accidens speciale distinctum, siue ipsamet fluida substantia, tactu percipitur. Sed substantia ipsa in se ipsa immediatè non sentitur: ergo substantia non dicitur humida per se ipsam, sed per aliquid superadditum. Confirmatur: fluxum substantiæ ex quo fluidam esse cognoscimus, potius visiva potentia, quam tactiva percipimus: ergo id quod sentimus, cum dicimus substantiam esse humidam, non est substantia esse fluidam, seu substantiam posse fluere: ergo sentimus qualitatem aliquam superadditam illi inhaerentem. Idem argumentum conficio de sensatione tactus, qua dicimus siccitatem sentire, illa enim non tangitur negatio fluxibilitatis, neque aliqua durities, seu consistentia partium opposita aptitudini ad fluendum, in lapide enim, qui neutquam fluere potest humiditatem sentimus: ergo sentitur qualitas substantiæ superaddita, quæ humiditas dicitur. Eandem conclusionem multi probant ex virtute actiua utriusque qualitatis, verumtamen adeo exilis est hæc virtus, ut ægrè possit aliquid ex illa nobis innotescere, & sit erit defendere contra sententiam oppositam talem virtutem inesse his accidentibus.

Obiicies, humorem, & siccitatem non sentiri per se, sed ratione caloris, aut frigiditatis, nullumque stare fundamentum ad has qualitates superadditas concedendas, & ita esse denegandas. Respondeo rem maturè inspicienti gravissimum fundamentum esse auctoritatem omnium Doctorum asserentium dari has qualitates, & sensu percipi tactus, nullamque rationem positivam pro opposita sententia inuentam fuisse. Insuper Respondeo falsum esse has qualitates tantum sentiri ratione frigiditatis, aut caloris, ostendit enim manifesta experientia præter calorem, & frigiditatem, aliquid aliud percipi sensu tactus, cum dicimus corpus siccum, vel humidum tangere, quod humiditatem, & siccitatem qualitates distinctas à substantia tota appellavit schola.

Secundò obiicit Arriaga, humiditatem non posse aliud corpus humectare, nisi per ingressum substantiæ fluidæ, quia si inter ipsum, & Oceani aquam vitrum leve poneretur, per quod non posset aqua permeare in æternum non humectaretur. Ex quatuor primis qualitatibus Aristoteles calorem, & frigiditatem qualitates actiuas appellavit passivas verò humiditatem, & siccitatem, quæ occasione tractant Doctores, an humiditas, & siccitas virtutem habeant ad producendas similes qualitates, de qua re multa scribunt Medici, legatur Petrus Garcia suprâ. Ex his deduces, quod etiam si humiditas humiditatem producere non posset, non ideo negandam esse hanc qualitatem, posset enim dari sine virtute actiua producendi similem effectum, sicuti datur calor, qui similem colorem producere non valet. Affirmo tamen cum ferè omnium sententia has qualitates habere virtutem actiuam producendi aliam sibi similem qualitatem, & tantum passivas dici, quia illarum actiua virtus nimis debilis est. Neque audebit Arriaga experiri, quod tanquam certum supponit, quod certè sine graui sui detrimento non præstaret, existimo enim prædictâ experientia tantam Arriagam sensurum humiditatem, ut magis eam à se curaret expellere, quam nunc à Philosophia. Sentio ergo prædicto casu hominem valde humectandum esse, quod quisque experietur, si in terra aqua delibuta vitrum ponat, & suprâ illud corpus aliud humiditatis capax, quod valde humidum inueniet, & magis humidum versus partes illas, quæ vitrum immediatè tangunt, quod signum est corpus illud non humectari tantum ab



aëre, quia hic minus tangit partes immediatas vitro, quam alias superiores, quæ aëre cinguntur, nullo alio corpore impediunt. Similiter negandum est quod supponit Ariana merces in naui non humectari aëre non ingredienti, quod falsum esse deprehendit, quicumque simul tangeret merces, quæ diu per mare vectæ fuere, & alias quæ loco secco fuissent asseruata, monstrat etiam humiditatem concipere omnia, quæ in locis humidis reponuntur, odor illis adiunctus, qui ex humiditate eisdem adueniente resultat.

6 Patres Conimbric. quest. 3. art. 1. definitiones omnium qualitarum ex Aristot. referunt, ex quo per concretum sic calor definitur. Calidum est, quod ea congregat, quæ sunt eiusdem speciei, hoc apparet in igne, qui aurum cum aliis metallis permixtum purgat ab illis, & partes auri diuisas interpositione aliorum metallorum in vnum congerit, & inter se vnit. Deinde duæ partes ceræ diuisæ calore rarefunt, & vniuntur idem dicitur de duabus densatis, quæ vni nequeunt, soluntur autem, & vniuntur calore. Neque contra hanc definitionem est, calorem extendere corpora calida per rarefactionem, quæ in nostra sententia cum diuisione rari corporis contingit, quia diuisiones in rarefactione factæ sensibus imperceptibiles sunt, & vniones supradictæ sunt valde sensibiles, & ita calor per ordinem ad vniones sensibus perceptibiles definitur, nulla habita ratione diuisionum insensibilium, quæ occasione caloris aliquando in rarefactione contingunt. Posset etiam dici in rarefactione vi caloris tantum contingere dilatacionem, & separationem localem partium, quæ diuisa supponuntur, & nullam nouam diuisionem contingere. Deinde calor aliquando vas vitreum frangit, aliquandoque calore diuiduntur ea, quæ sunt eiusdem generis, vt si vinum congelatum, & aqua congelata, quæ separata sunt applicantur igni mutua diuisione intermiscetur partes vini & aquæ: nihilominus dicendum est Aristotelem definitionem subfistere, & explicanda proprietates illa congregandi illa, quæ sunt eiusdem generis de calore intenso intra latitudinem proprii temperamenti formæ vniendæ, non verò de calore ita intenso, vt destruat temperamentum, & formam corrumpat, & hac ratione responderetur ad difficultatem petitam ex valis contractione. Ad aliam de aqua, & vino congelatis quæ vi caloris miscetur dicendum est Aristotelem definitionem calorem secundum effectum, quem communiter, & frequentius habet, licet aliquando oppositum fortitur.

7 Hæc ad explicandam vulgarem definitionem, quam tradidit Arist. non animo definiendi naturam huius qualitatis per proprium genus, & strictam differentiam, sed illam quomodolibet explicandi descriptione quadam accommodatâ his quæ sensibus percipimus, eademque latitudine accipiendæ sunt definitiones reliquarum qualitarum, quas iam subficio.

8 Humidum definitur, quod difficile proprio termino terminatur, facile verò alieno, quod conuenit aëri, & aquæ, quæ propriis terminis contineri non possunt, facile enim ex omni parte labuntur, haud difficile autem alienis intra vas, vel intra quodcumque corpus aliud cohercentur. Quod autem aër aliquando velocissimè creatur, & mare rapidissimè concitetur, prouenit ab extrinsecis Lunæ aliorumve astrorum influxibus, ex se enim aqua debili compescitur termino, & aër subtilissimâ aranæ telulâ clauditur.

9 Siccum definit Arist. quod facile proprio termino, difficile alieno terminatur, vt patet in terra, & in aliis corporibus, quæ intra proprios terminos continentur, neque facile hinc inde labuntur, difficileque alienis terminis valent contineri, quia propriis contenti externis contineri non possunt, neque obstat ignem sua voracitate materiam sibi proximam depascere, ac in propriam ignis naturam contigua corpora conuertere, quia hoc non est non contineri propriis terminis, sed illos extendere, maioresque acquirere nouæ substantiæ antiquæ vnitæ acquisitione. Neque ex eo quod ignis levis sit, & facile moueatur, dici potest propriis terminis non contineri, quia semper propriis terminis mouetur, illud enim tantum dicitur non propriis terminis contentum, quod per sui diuisionem nullo impetente contrario facile dissipatur, ac in diuersas partes delabitur. Ex hoc inferes lapidem papyro inuolutum non contineri papyri terminis, continentia de qua Aristot. egit in his definitionibus. Quia etsi papyro aliòve corpore commoto lapis in terram decideret, non tamen dissiparetur secundum partes, neque in diuersa spatij latera, partes lapidis dissipatæ laberentur, sed omnes seruata eadem formali pro-

portione approximationis, quam inter se antea habebant, in terram deciderent, in qua proportionem consistit continentia, de qua loquitur Aristot. quamque habent aër, & aqua ratione termini extrinseci, quia amotis lateribus vasis continentis aquam, aqua dilaberetur illiisque partes mouerentur non seruata proportionem formalis approximationis, quam inter se habebant, quapropter dum cum eadem proportionem intra vas mouentur, hanc tribuimus terminis extrinsecis vasis compescentibus partes aquæ, ne dilabantur, & non naturæ eiusdem aquæ continentis se propriis terminis.

Hic inquiri solet an qualitates symbolæ inter se specie distinguantur, vel non. Qualitates symbolæ dicuntur, quæ eodem nomine diuersis in specie subiectis gaudent, verbi gratia, calor ignis, & calor aëris, elementalis calor & calor à sole productus. Affirmant aliqui calorem caelestem, hoc est fluentem à corporibus caelestibus specie distinguunt à calore elementalī, & vitali. Alij calorem vitalem à reliquis omnibus, quos putant esse eiusdem speciei, specie distinguunt. Questionem hanc prolixè satis Medici tractant, apud quos longas disputationes inuenio, nihil tamen reperio, quod adhuc medicorum disputationi materiam præbeat, ideo affirmo breuissimè calores omnes, quos huc vique experti sumus in quibuscumque subiectis existentes (idem dico de frigiditate, & aliis qualitatibus) esse eiusdem speciei. His moueor: Calores omnes ad inuicem intenduntur, verbi gratia, calor ignis, seu productus ab igne intendit calorem productum à Sole, vterque calor intendit calorem productum à Sole, vterque calor intendit calorem naturæ viuientis: ergo omnes hi calores sunt eiusdem speciei. Antecedens monstrat experientia, consequentia est bona, quia qualitates inter se specie distinctæ non intenduntur. Secundò: omnes calores à quocumque principio producti eodem omnino modo mutant sensus, & sensationes eiusdem speciei, & omnino similes producant: ergo omnes sunt eiusdem speciei. Tertiò, frigiditas siue producta ab aqua, siue ab alio quocumque principio eodem modo expellit calorem vitalem, mentalem, & caelestem: ergo nullum superest principium, ex quo possimus qualitates symbolas comitantes subiecta specie distincta secundum speciem distinguere. Confirmatur, & hæc sit quarta ratio huius conclusionis. Diuersitas principiorum, etsi distinctionem arguat actionum, quæ per se ipsas sunt connexæ cum principijs, & non sunt indifferentes, vt procedant ab hoc principio, vel ab illo diuersitatem effectuum non arguit, cum enim effectus non dependeat per se ipsum à principio, sed per causalitatem superadditam potest esse indifferens, vt dependeat ab hoc vel illo principio specie distincto: ergo ex distinctione specifica principiorum non inferitur distinctio specifica qualitarum: ergo nullum est fundamentum ad multiplicandas species qualitarum pro multiplicatione subiectorum specie dissidentium, cum totum principium distinctionis qualitarum ex distinctione principiorum desumendum esset, nullum enim aliud superest ad illas distinguendas: ergo fingenda non est talis distinctio absque aliquo probabili fundamento.

Obiicit. Calor febrilis extinguit calorem naturalem: ergo non est eiusdem speciei cum illo. Resp. calorem febrilem non semper extinguit calorem naturalem, sed illum intendere, quæ intensio subiecto est valde nociua, aliquando illum extinguit non immediatè, sed dissipando, & corrumpendo partes, in quibus subiecitur, quibus corruptis corrumpitur calor illis inherens, eodem modo ignis fornacis extinguit lucernæ ignem attenuando aërem, qua attenuatione subtilissimus redditur, & valde aptus motui, quo motu dissipatur flammea illa materia, in qua erat forma ignis, quæ valde diuisa facillimè extinguitur, ægrèque conseruatur, aut ob materiæ paruitatem non percipitur, aut non discernitur à reliqua lucē, quam per medium alijs ingens ignis effundit. Si adhuc audire cupias rationes aliquas levis momenti, quibus nonnulli qualitates omnes pro distinctione specifica subiectorum specie distinguunt, consule Petrum Garciam super Fen.

1. lib. 1. disput. 4. cap. 15. vbi

illas refert, &

refellit.

\*\*\*



## PUNCTUM VI.

## Qualitates per singula distribuuntur elementa.

**C**alorem in summo igni competere satis euincitur ex nimio calore, quem recipit corpus igni applicatum, & ex vehementis caloris sensatione, quam attractio igne experimur, insuper tria alia elementa non habent summum calorem: ergo summus calor conuenit igni, oportet enim quamlibet qualitatem habere proprium subiectum, cui in summo gradu inhæreat. Conclusio hæc certa est apud auctores, leges plurimos apud Conimbric. quæst. 4. art. 1. Terram esse summè siccam communis Philosophorum Medicorumque fert opinio, quod facit textus innuere videtur Genesi. ubi terra arida vocatur, quasi antonomastice, quia inter omnia elementa est summe arida, hoc est summè sicca. Sic etiam elementorum ordo expositulare videtur, aer enim, & aqua nihil siccitatis habent, ignis licet siccitatem contineat non summam, ac proinde tantum terra superest, quæ sit proprium siccitatis domicilium, ubi secundum suam totam insidet intensiorem: loquimur cum omnibus authoribus in hac sententia non de summa intensiōe, quæ supernaturaliter potest qualitati contingere, quia hæc nullis claudit terminis, ut dictum est, sed de illa, quæ naturaliter potest reperiri in qualitate ordinata ad formam substantialem secundum totam intensiōem, quam continet.

**M**aior difficultas est de humiditate, & frigidityte quomodo inter aërem, & aquam distribuuntur. Galenus lib. 1. de elementis cap. 3. & lib. 1. de simplicium medicamentorum facultatibus capite 8. & clarius cap. 32. & alij apud Conimbric. art. 1. affirmant aërem esse summè frigidum, quam sententiam tenet Arriaga, qui cum neget dari siccitatem, & humiditatem, duabus alijs qualitatibus debet quatuor elementa componere, aliasque elementorum naturas meditari ab his, quas tota hucusque cognouit schola.

**V**eriores puto opinionem asserentium aërem esse summè humidum, hæc est expressa Aristotelis multis in locis præcipue 2. de Generat. cap. 3. text. 123. his verbis: *Sed tamen simpliciter quatuor existentia unus unusque est: terra enim sicci magis quam frigida, aqua autem frigida, magis quam humida, aer autem humidus magis quam calidus, ignis autem calidus magis quam sicci*, idem testatur cap. 8. text. 49. quibus verbis Aristot. omnibus elementis qualitates omnes assignauit, quibus in summum, & prope summum gaudent, quem in omnibus sequar, in his enim quæ coniecturis, rationibusque vtriusque aequè incertis aguntur, plurimum opinionibus defert authoritas, præcipue Aristotelica, quæ in rebus purè philosophicis magni semper habenda est, præferendaque aliquorum Philosophorum authoritati. Sententiam hanc defendunt Patres Conimbric. & alij plurimi apud illos, quos sequuti sunt, Pater Rub. lib. 2. de Generat. c. 3. q. 8. P. Hurtado disp. 6. sect. 4. Probat conclusio: humidum ex Aristot. lib. 2. cap. 2. est illud, quod non bene proprio termino, sed alio terminatur. Sed hæc definitio præ omnibus elementis competit aëri: ergo aer quocumque aliud elementum exuperat humiditate. Maior continet definitionem humiditatis ab Aristot. traditam, & à reliquis Philosophis admissam. Minorem ostendit manifesta experientia, facilius enim aer continetur intra telulam valde tenuem, quam aqua de qua in præfenti tantum est quæstio an humiditate aërem vincat, in igne enim, & aëre humiditatem non vigere certo certius est. Secundò: aqua, ut modo probabo est summè frigida: ergo tantum aer potest habere humiditatem in summo. Tertio: hoc modo congruè disponuntur elementa, non enim duo contraria videlicet summè calidum, & summè frigidum immediatè collocantur, sed inter vtrumque, medium aliud, humidum videlicet constituitur.

**A**uicenna, Albert. & alij apud Conimbric. art. 2. existimant aquam esse summè frigidam, verior tamen & Peripatetica sententia, ut constat ex verbis Aristotelis num. 3. relatis, docet aquam esse summè frigidam, illam defendunt plures Philosophi, atque Theologi apud Conimbricenses suprâ. & ex Patribus Ambrosius in exam. lib. 4. cap. 4. Basil. homil. 4. in Genes. Damasc. in suis Physicis cap. 12. Suadet hanc conclusionem nimia inimicitia, quæ intercedit in-

ter ignem, & aquam, quæ significatur in lib. Iob. cap. 4. per illa verba: *ad nimium calorem transeat ab aquis suis*, ubi nimio calori frigiditas aquæ opponitur, ex quo inferitur frigiditatem aquæ summam esse, summo enim calori summa frigiditas opponenda erat. Deinde nullum elementum citius deperditam frigiditatem recuperat, quam aqua, neque vllum reperitur, quod æquè corpus contiguum frige faciat: ergo inter omnia elementa aquæ competit summa frigiditas, summaque propensio ad frigiditatem producendam. His accedit inter omnia animalia, aquatilis esse frigidiora ut testatur Aristot. lib. 2. de respirat. c. 6. quæ propter ut plurimum sunt exanguia, vel parum sanguinis habent, & idè oportuit illis ad propriam habitationem elementum omnium frigidissimum esse imperitum, illorumque frigiditas excedens reliquorum animalium frigiditatem, non leuis est coniectura ad inferendum à posteriori, illorum elementum, cuius qualitates præcipue ebunt, reliqua omnia frigiditate antecellere. Oportuit etiam terram, & aërem non habere summam frigiditatem, quia terra facta fuit ad habitationem animalium terrestrium, & aer ad respirationis vsum eis datur, quibus frigiditas est valde nocua, magnamque nocumtum recipere, si terram summè frigidam colerent, maximumque si aer nimis frigidus ad respirandum vterentur.

**P**ræter qualitatem cuiuslibet elemento assignatam, necessum est aliam constituere, quæ iam assignatam comitem, ita exigente naturæ ordine, quo omnia elementa concordem discordiam habent, itaque quodlibet elementum alij vicino secundum quandam qualitatem inimicat, & secundum aliam amica cognitione conuenit, & hoc qualitatum ordine habetur ratio concordie, dignitatis, & conseruationis elementorum. Concordia in qualitate symbola, dignitatis in qualitate excellentiori, præcellens enim elementum præcellenti qualitate gaudet summè intensius conseruationis, quia concordia, & pax perennitatis parens est, hæcque potiuntur elementa secundum vnâ qualitatem & secundum aliam habent disconuenientiam, quæ valde necessaria est ad perpetuam elementorum totiusque vniuersi conseruationem, quæ persisteret non potest sine frequenti generatione, & hæc non nisi inter contraria potest contingere. Idem etiam suadet experientia, quæ videmus ignem non solum calefacere, sed etiam exsiccare, & aquam non solum frige facere, sed etiam humectare: sed non leuis est difficultas in dispensatione harum qualitatum, & in modo quo quælibet illarum proprio sit tribuenda elemento.

**I**gnem præter calorem siccitatem includere certum est, nullus enim dicit ignem humidum esse, frigiditas verò calori opponitur: alia ergo qualitas non superest, quæ possit in igne calorem comitari. Summam aeris humiditatem secum frigiditatem habere Stoici defendunt, Peripatetici verò Aristotele duce tuentur aërem præter summam humiditatem calorem continere. Assentior his, propter authoritatem Aristotelis, & rationes, quas iam subicio. Leuitas est comes signumque caloris, sed aer est levis: ergo calidus. Secundò nimio calore aqua in aërem conuertitur, & nusquam frigiditate: ergo calor, & non frigiditas humiditatem aeris comitatur, nulla enim substantia gignitur qualitate opposita proprio temperamento, seu propriis qualitatibus. Insuper aer in subterraneis nimio frigore corrumpitur: ergo non est natura sua frigidus, frigidum enim non frigidus corrumpitur, sed calido. Rursus substantia æreæ, sicuti mel & oleum, sunt calidæ, & non frigida: ergo aer cui hæc substantia sunt cognatæ, non est frigidus sed calidus. Vltimò si aer esset humidus, & frigidus, nulla cognitionem haberet cū igne sibi vicino, ac proinde totus elementalis destrueretur ordo. Aquam præter frigiditatem humorem habere monstrat notissima experientia, in nullo enim elemento ita sentimus humiditatem sicut in aqua. Restat modò ut summæ terræ siccitati frigiditas copuletur ut omnia elementa qualitatè symbola habeant cum elemento sibi vicino, ignis enim est summè calidus, & siccus, aer summè humidus, & calidus, aqua summè frigida & humida, & terra summè sicca, & frigida. Ignis conuenit cū aere in calore, & illi opponitur in siccitate, aer conuenit cū aqua in humore, & in calore dissentit: aqua est terra similis in frigiditate & in humore dissimilis, terra cum igne siccitate componitur, & frigiditate opponitur. Ignis & aqua secundum omnes qualitates opponuntur sicuti aer & terra, quapropter hæc elementa dissimilia appellantur, symbola verò ignis cum



cum aere, aer cum aqua, aqua cum terra, terra cum igne, unde quodlibet elementum duo alia habet symbola, & vnum dissimulatum.

7 Veramque qualitatem cuiuslibet elemento assignatam in summo gradu illi competere docuere Naphus lib. 1. de ger. comm. 28. q. 4. & Aquilinus, sequutus est Peramatus lib. de elementis cap. 8. Sententiam oppositam videlicet vnicam tantum qualitatem elementis in summo gradu competere, & aliam, illam videlicet quam secundo loco assignauimus prope summum competere, tenet communis sententia omnium ferè Philosophorum, & Theologorum, & ex Patribus docent illam Ambrosius, lib. 4. exam. Basil. homil. 4. in Genes. Damasc. in suis commentariis Physicis, tradit illam expressè Aristotelis testimonio in 3. relato. Rationibus sic probatur. Aer non ita facile corrumpitur deficiente calore, quam deficiente humiditate, & facilius cum frigidity, quam cum siccitate componitur: ergo magis retinet humoris quam caloris. Idem patet in terra quæ multum caloris absque sui corruptione, & valde parum humiditatis admittit: ergo maiorem siccitatem habet sibi connexam, quam frigidity. Rursus ignis magis calefacit quam aer: ergo aer habet remissorem calorem, quam habet ignis: ergo non habet calorem in summo. Scio facile posse has omnes rationes solui, neque in re alicuius momenti sine maiori examine illarum aliquam admitterem, neque proponerem, in re autem incerta, cui communis consensus scholæ patrocinatur, hæc coniecturæ sufficiant.

8 Difficultas est an elementa qualitates has quas non in summo, sed prope summum continent, contrarias habeant admixtas. An ignis videlicet, qui sex gradus siccitatis continet duos alios humiditatis habet. Negant aliqui, quia sequeretur ignem, & aquam esse elementa symbola, conuenirent enim humore. Negabo consequentiam, non enim conuenientia in quocumque gradu remissa sufficit ut elementa symbola dicantur. Arguit secundo sequi ex hac admixtione qualitatum contrariarum elementa esse mixta. Eodem modo consequentiam negabo, quia mixta tantummodo dicuntur illa, quæ habet quatuor qualitatum temperamentum. Arguit tertio: si ignis haberet duos gradus humiditatis summo calore destruendos esse: ergo illos non habet. Nego antecedens, quia humor siccitatem non calore pellitur à subiecto, neque siccitas non summa humoris valde remissa opponitur. Tandem probant suam sententiam, quia ignis non dicitur humidus, & Aristoteles duas tantum qualitates in quolibet elemento constituit. Respondeo ignem non dicendum esse humidum à duobus gradibus humiditatis, etiam si illos contineret cum longè plures siccitatis contineret, sicuti non vocamus calidam aquam, quæ apud nos est, etiam si aliquem gradum caloris contineat, quia frigiditas est, quæ magis viget in aqua, & quæ propria sensatione sensationem caloris nimis remissi absorbet, eadem ratione Respondeo Aristotelem tantum assignasse duplicem qualitatem cuiusque elemento, quia de alia vtpote nimis remissa rationem non habuit.

9 Patres Conimbr. cum plerisque Nominalibus affirmant q. 3. art. 4. in elementis has qualitates non summè intensas contrarias esse admixtas. Probat hanc conclusionem, quia tota latitudo primarum qualitatum semper est explorata in omni subiecto. Respondeo negando in elementis expleri hanc qualitatum capacitatem ad ipsorum exigentiam, ex mixtis enim ad elementa argumentum desumi nequit, quia mixta exigunt temperamentum primarum qualitatum, ac proinde defectus vnius qualitatis qualitate opposita expleretur. Arguunt secundo sequi illam qualitatem, quæ est in excellenti gradu, non tamen in summo posse intendi in instanti vsque ad summum, cum nullum sit contrarium, à quo retardetur eius intensio. Fatentur Patres Conimbric. hanc rationem tantum valere apud illos, qui consent totam rationem successione esse resistentiam contrarij, sed apud illos nullum erit absurdum sequelam admittere, ac proinde apud nullos argumentum quidquam valebit. Rursus instant: cum ex aqua gignitur ignis, frigus aquæ paulatim expellitur: ergo calor non introducit in instanti. Respondeo dato quocumque elemento cum qualitate prope summum: v. g. ut sex, duos gradus oppositæ qualitatis in instanti introduci, quia qualitas præexistens non illis resistit, reliquos verò gradus successivè introduci.

10 Ex his constat nullam ex his sententiis firmo aliquo niti fundamento, ac proinde neutram illarum posse efficaci-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

ter probari, posset tamen dici cum Hurtado disp. 6. sect. 5. has qualitates non esse contrarias parmixtas, quia hoc modo elementa simpliciora constituuntur. Deinde quia qualitates illæ remissæ inutiles essent, quid enim duo humiditatis gradus igni præstare possunt? & hic dicendi modus videtur magis ad Philosophi mentem, qui duplicem tantum qualitatem cuiuslibet designauit elemento.

Contra distributionem qualitatum factam nonnulla sunt argumenta non magni momenti, referam præcipua quorum solutionibus alia eisdem familia solui poterunt.

11 Obicitur primò: contra conclusionem, quæ diximus aerem esse summè humidum: aqua magis humectat corpus quam aer: ergo aqua est magis humida aere: vulgaris est solutio aquam magis humectare propter maiorem densitatem, cui non dissentior, aer enim quam pluribus interfecatur corpusculis, quæ ad solis radios visui apparent, & minoribus aliis, quæ ob nimiam paruitatem non videntur, ratione quorum minus agit, quam ageret, si omnes sui partes essent vnite illisque & non peregrinis corpusculis repletetur spatium. Secundo Responderi posset antecedens non esse omnino certum, licet enim videatur corpus magis humectari actu aquæ, quam aeris, forsan non est, quia maiorem humiditatem in se recipiat, sed quia aquæ actu magis aquæ corpori adhæret, quam eiusdem aeris actu, & ita humiditas aquæ cum corporis humiditate confunditur, sensuique eadem videtur.

12 Obicitur secundo contra eandem conclusionem: aer exsiccat alia corpora: ergo non est humidus. Respondeo aerem non exsiccare alia corpora per se producendo siccitatem, sed per accidens, quia illius actus partes aquæ in vestibus contentas percutit, & localiter mouet, separatque à vestibus, quibus separatis vestes humiditatem aquæ intra se non continent, ratione cuius humidiores apparebant, eiusdemque actiuitate verè humectabantur, similiter aer peregrino frigore stringit corpora, & partes fluidas ab illis expellit, quo magis sicca apparent.

13 Obicitur tertio contra conclusionem, quæ diximus aerem calorem continere, aerem in regione media esse valde frigidum. Respondeo aerem naturæ suæ esse valde obnoxium peregrinis impressionibus, ac proinde noctu, & hyeme recedente Sole frigiditatem recipere ab aqua, & terra, & à caelestibus influxibus, vaporibus, & exhalationibus, quæ tunc naturæ suæ frigiditati restituntur sole non impediante: in regione verò media aer est magis frigidus, quam in summa, neque in infima, quia in summa natura virtute, & igne vicino magnum calorem concipit, in infima reflexione Solis calefit, in media verò his caret adminiculis, ac proinde agentibus extrinsecis modo assignatis frigeat, & non potest natium tueri calorem.

14 Obicitur quarto contra eandem conclusionem: Aer calorem hominis attemperat, & frigiditatem producit: ergo non est calidus, sed frigidus. Respondeo, aerem aliquando esse frigidorem homine, non quia natura sua virtute frigidus sit, sed quia ab agentibus extrinsecis extraneam concipit frigiditatem.

15 Obicitur quintò: Oleum est naturæ suæ aereum, & facilius in hyeme condensatur, quam aqua: ergo frigidius est aqua. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia condensatio non tantum provenit ex frigiditate, sed etiam ex aliis qualitatibus, & ex natura eiusdem substantiæ, & ita potest oleum natura sua calidum condensari facilius, quam aqua natura sua frigida, quia ex aliis capitibus aptius est ad condensationem. Eadem ratione respondendum est si obiciatur aquam perpetuo densam esse futuram, si summam frigiditatem contineret.

16 Vltimò obicitur contra conclusionem quæ diximus terram esse siccam in summo, & frigidam prope summum. Terra est summè grauis: ergo summè opponitur in grauitate cum igne summè leui: ergo eandem oppositionem habet in aliis primis qualitatibus: sed ignis habet summum calorem, & prope summam siccitatem: ergo terra habet summam frigiditatem, & prope summam humiditatem. Respondeo negando secundam consequentiam, non enim ex eo, quod ignis, & terra summè opponantur in grauitate, & leuitate, inferitur summè opponi in calore, & frigore, quia licet calor ex se leuitatem comitetur, & grauitatem frigiditas, sunt aliæ plurimæ qualitates conducentes ad grauitatem, & leuitatem, quibus excessus frigiditatis vel calor compensabitur.



## PUNCTUM VII.

## De gravitate, &amp; levitate.

## §. I.

## Aliorum placita.

**I** Gravitas, & levitas affectiones sunt, quæ præcipuè elementa comitantur, ideo illius notitia ad perfectam elementorum cognitionem spectat: *gravitas est principium intrinsecum motus deorsum, identificatum cum mobili, vel per se ab intrinseco procedens.* Levitas verò principium intrinsecum motus sursum, identificatum cum mobili, vel per se ab intrinseco procedens. Differunt gravitas, & levitas ab impulsu qui est principium motus, ex eo, quod impulsus neque sit identificatus cum mobili, neque ab illo procedat, sed semper ab agente extrinseco producat. Differunt etiam à potètia locomotiva viventium, quia hæc non est principium per se determinatum ad motum sursum aut deorsum, sed indifferens ut sursum vel deorsum motum producat. Per duplicem conceptum disjunctivè sumptum tradidi prædictas definitiones, ut possent iuxta omnium opiniones subsistere; in mea verò sententia, quæ gravitatem, & levitatem à formis substantialibus distinguit, secus distinctione utraque potest definiri, per principium ab intrinseco procedens, &c. Hæc processio ab intrinseco convenit gravitati, & levitati, si qualitates sunt distinctæ à temperamento primarum qualitatum, quia vel ab isto procedent, vel ab ipsa forma substantiali. Si verò non distinguantur ab ipso temperamento, hoc enim per se ab intrinseco procedit, forma enim in instantibus succedentibus mensuram suæ primæ productionis proprium temperamentum producit, & in illa prima mensura illud supponit, & exigit, & de facto illud produceret, si non supponeretur productum, & ita quasi per accidens illud non producit, per se enim formæ talis est temperamenti productiva. Quando verò temperamentum est alteratum per excessum alicuius qualitatis ab extrinseco productæ ultra exigentiam formæ, tunc pars illa, seu ille qualitatis excessus non procedit à forma, verumtamen dicitur ab illa procedere gravitas, & levitas etiam si constet in commixtione qualitatum, quæ mobili conveniunt iuxta proprium temperamentum, & alicuius quæ ultra proprium temperamentum seu contra propriam exigentiam mobili contingit, quia præcipuè qualitates, & maior illarum pars quæ commixtionem ingrediuntur à forma mobilis procedunt.

**2** Circa naturam gravitatis, & levitatis, & distinctionem illarum à forma corporis, quod grave levis videtur sunt plures dicendi modi. Communis sententia gravitatem & levitatem à forma corporis gravis, & levis, verbi gratia, gravitatem in terra à forma terræ, & levitatem in igne ab eiusdem forma distinguit. Tenent hanc D. Thomas lib. 2. de anima lect. 23. Galen. lib. 1. de natura humana capite 5. Patres Conimbricenses lib. 2. de generat. capite 3. quæst. 4. artic. 2. Pater Hurtad. de opere sex dierum disputat. 3. sect. 5. subsect. 5. Petrus Garcia super fen. lib. 1. c. vnic. disputat. 4. c. 5. sequuntur hi omnes Philosophum, qui multis in locis hanc sententiam expressè tradidit, præcipuè lib. 2. de generat. c. 2. & 7. Physic. c. 2. & lib. 5. Metaph. c. 14. & lib. 2. de partibus animalium c. 3. Verumtamen, in his, qui gravitatem, & levitatem distinguunt à formis substantialibus magna potest esse Controversia, potest enim dici esse qualitates immediatè ortas ab ipsis formis substantialibus, & distinctas à primis qualitatibus, & ab illarum temperatūra, qui dicendi modus est alienus à mente Philosophi, & Doctoris Angelici locis citatis. Aliter potest dici gravitatem, & levitatem resultare ex temperie primarum qualitatum, & hæc est sententia Philosophi, & D. Thom. Sed adhuc res est dubia, vulgo enim dicitur aggregatum qualitatum ex ipsis qualitatibus resultare, & iuxta hunc loquendi modum, potest dici gravitatem, & levitatem resultare ex primis qualitatibus, & non distinguere ab illarum temperatūra, seu ab illarum aggregato. Alio modo proprius dicentur gravitas, & levitas resultare ex primis qualitatibus, & ex illarum commixtione, si ab ipsis simul sumptis distinguantur tanquam qualitates speciales procedentes à primarum temperamento eo modo, quo procedunt albe-

do, & sapor. In hunc sensum Patres Conimbric. Aristotelem interpretantur, qui asserunt loco supra citato gravitatem, & levitatem non immediatè procedere ex primis qualitatibus, sed interuentu raritatis, & densitatis, ita tradunt sensisse Philosophum 4. Physic. c. 9. text. 37. Neque adhuc horum, qui sentiunt gravitatem, & levitatem procedere ex primarum temperamento, & ab illis etiam simul sumptis distinguere, vna mens est, fert enim communis inter hos sententia gravitatem, & levitatem esse qualitates specie distinctas, & inter se oppositas sicuti albedo, & nigredo, cui se opponunt recentiores asserentes gravitatem, & levitatem tantum distinguere penes magis, & minus, ita ut eadem qualitas cum est intensius gravior vocetur, & sit principium motus deorsum, & cum est remissa dicatur levitas, & sit principium motus sursum. Hæc ratione asserunt neoterici isti, terram petere esse sub omnibus elementis quia qualitatem hanc habet summè intensam, & aquam petere esse sub aère, & igne, & non sub terris, sed supra illam, quia habet qualitatem hanc intensiorem, quam habent eandem, aër, & ignis, & remissionem quam terra eadem proportionem philosophantur de aère, qui petit esse supra aquam, & infra ignem propter qualitatem quam habet intensiorem qualitate simili ignis, & remissionem qualitate simili aquæ. Ultimo iuxta hanc dicendi modum ignis est summè levis, qualitatem habet summè remissionem inter qualitates omnes similes, quibus gaudent alia elementa. Modus iste dicendi toto cælo aberat, ut ostendam, quem invenisse iactitant recentiores isti, sed vanè, quia iam diu illum improbauit Hurtad. supra, §. 1. ubi dixit gravitatem, & levitatem non differre penes maiorem, aut minorem intensiorem.

Vallesius lib. de sacra Philosophiâ capite 48. & lib. 1. Controv. cap. 3. & Arriaga disputat. 4. sect. 5. subsect. 1. omnia omnibus dicendi modis supra adductis dixere gravitatem, & levitatem non esse accidentia superaddita substantiis, sed identificari cum formis substantialibus ipsorum corporum gravium, & levium, ita ut ipsa forma per se ipsam principium sit immediatum motus deorsum, & in corpore levi motus sursum. Probat Vallesius conclusionem traditam, si gravitas, & levitas essent accidentia distincta, convenirent corporibus absolute in ordine ad se in certa, & determinata intensione, sicuti competit calor, & frigiditas cuicumque corpori, sed gravitas, & levitas non ita subiecto conveniunt, sed respectu, & in ordine ad aliud, ergo non sunt accidentia superaddita. Minorem probat Vallesius, si gravitas & levitas absolute convenirent subiectis, eodem modo illis convenirent respectu cuiusvis mediij atque respectu diversij mediij diverso modo convenirent, ergo non convenirent absolute. Patet minor in balance, in qua si ponatur libra auri, & argenti in medio neutra alteram detrahet, si tamen aquæ superponatur, libra auri aquis supernatat: ergo gravitas horum corporum absolute non est, sed respectiva ad medium, ergo non est accidens superadditum, quod respectu cuiusvis mediij absolutum esset. Ratio hæc nullius est momenti, quia ad distinctionem gravitatis, & levitatis à subiecto nihil præstat diversitas, quam habet respectu mediorum: eadem enim est difficultas, & eadem redditio est ratio, cur ex duabus gravitatibus quædam corporis lignei, & alia corporis aurei mediâ aquâ submergatur vna, & alia supernatet, neque enim magis respectiva esset gravitas identificata cum substantia, quam illa, quæ à substantia, distinguatur, & sicuti gravitas superaddita esset in determinato gradu, ita gravitas identificata cum substantia semper esset eadem, & eiusdem virtutis, & æquè propenderet in centrum, imò si gravitas est superaddita potest recipere magis & minus, intendi, & remitti, & gravitas identificata cum substantia semper eadem immobilis necessariò perseverat.

Ut rem solvam, præmitto tanquam certum libram ferri positam in hac lance numquam præponderare libræ ligni positæ in altera, neque aliquando ex duabus gravitatibus quantumvis differant corpora gravia, & levia, sicuti differunt ferrum, & lignum, cuiusvis conditionis sit medium numquam vnam alteri prævalere, cum enim posita balance super aquam, vna supernatet, & alia submergitur, illa quæ submergitur non detinet aliam ne submergatur, sed ideo ista submergitur, quia vincit resistentiâ aquæ, & illa supernatet, quia similem aquæ resistentiâ vincere non potest. Quod si necessum esset lancem illam attolli, ut hæc submergeretur, verique esset



esset immobilis, vt contingit quando trutina ita est opposita, & loco superiori affixa, vt tantum possit simul attingere vtraque lanx superficiem extremam aquæ. Ex his constat ad præsentem difficultatem tantum desiderari rationem propter quam ferrum (idem tene de aliis corporibus) & non lignum submergitur aquis. Disparitas sumenda est ex poris aëre repletis, quos in se lignum continet, partes enim aëris in illis contentæ natura sua leues sunt, & petunt esse supra aquam, & ita resistunt motui, ex vi cuius submergantur aquis; ferrum verò, & alia corpora densa pauciores habent poros, quibus detineatur aër, qui leuitet, & resistat esse sub aquis. Pater Arriaga eò solum negat gravitatem, & leuitatem, quia nullum est fundamentum concedendi has potentias distinctas à forma substantiali, & ita de illis philosophandum est, sicuti de reliquis potentiis viuientium, quas nunquam sine fundamento distinguimus. Fundamentum hoc coarctat ratio, quæ probabo gravitatem, & leuitatem à formis substantialibus distinguenda esse.

5 Oppositam sententiam videlicet gravitatem, & leuitatem distingui à substantia, sic Petrus Garcia intendit probare. Si grauitas, & leuitas non distinguerentur à substantia, sequeretur eadem prorsus celeritate moueri deorsum corpus paruum quæ mouetur magnum, cuius oppositum docuit Aristot. 4. de celo c. 5. & manifesta monstrat experientia, quæ probatur: eadem celeritate aqua parua, aut magnæ quantitatis calefacta reducit se in pristinum frigiditatem, neque est vnde oppositum contingat, neque ex alio capite id accidit, nisi quia parua, & magna aqua per se ipsam reducit in pristinum frigiditatem; ergo si lapis paruus, aut magnus per se ipsum deorsum descenderet, æquali velocitate vterque descenderet, neque aliud discrimen potest assignari ratione cuius lapides magnitudine inæquales inæqualiter descendant, & aquæ calefactæ inæquales magnitudine æqualiter frigeant.

6 Mihi certum est aquæ cito in frigiditatem innatam se restituere exiguum, atque magnam aquam, verumtamen experientia admissa ex alio capite illius ratio petenda est, neque discrimen assignatum in præcedenti argumento ad rem facit, quod sic ostendo. Si grauitas est accidens superadditum diffusum est per totum subiectum: ergo quo subiectum est maius, grauitas extensius maior erit, & plures habebit partes similes, & quo subiectum est magis extensum plures partes habebit substantiæ, partes enim substantiæ diuisibiles, & partes grauitatis, & cuiusvis accidentis superadditi inter se commensurantur: ergo, sicuti, quo substantia est magis extensa, est magis virtutis illi inherens, ita est magis eiusdem substantiæ, & virtutis cum illa identificata: ergo siue grauitas sit accidens superadditum, siue distinctum semper remanet eadem difficultas, quomodo substantia maior per se ipsam productiua non celerius effectum, quam minor, sed tantum maiorem extensius producat, & grauitas superaddita extensius, maior non solum maiorem extensius, sed etiam maiori cum velocitate effectum producat. Respondet Garcia diuersam esse rationem, quia iuxta sententiam Philosophorum, qui probabiliter sentiunt, quo virtus actiua est in maiori quantitate, celerius agit, & sic celerius mouet, tamen nullus dixit, quo substantia est cum maiori quantitate celerius frigi fieri: Ratio hæc difficultatem non soluit, sed premit, quia si ex Aristot. quo maior est virtus celerius producit effectum, quo maior est aqua, quæ per se ipsam frigit, maior est virtus productiua frigiditatis: ergo celerius debet produci frigiditas.

7 Ad difficultatem explanandam aduertere oportet aquam calefactam restituentem se in pristinum frigiditatem tantum agere in se ipsam, lapidem deorsum descendentem non solum agere in se ipsum producendo propriam præsentiam, sed in passum approximatum, & verbi gratia, in aerem expellendum ab spatio quod mobile motu proprio percurrit. Ex hoc capite optima discriminis ratio redditur, aqua enim calefacta, quo extensior est extensior effectum debet producere, & contrarium magis extensum debellare, vnde eadem proportionem, quo crescit extensius virtus aquæ crescit extensius effectus producendus, & contrarium expugnandum, & ita sicuti non citius duo homines duos vincunt homines quam vnus homo hominem alium, ita non citius duplex pars aquæ duplicem partem frigiditatis producit, & duplicem aliam caloris expellit, quam vna pars aquæ partem vnā

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. 1.

frigiditatis producit, & aliam frigiditatis expellit. Adde partes aquæ aquæ calefactas per simplicem emanationem se restituere in suam frigiditatem, quia pars hæc aliam propinquam adiuvet ad suam frigiditatem producendam, neque per modum vnus principij concurrant ad producendam frigiditatem in altera, sed quælibet propriam frigiditatem producit, quia eo ipso quod partes aquæ sint æquæ calefactæ sunt æquæ frigide, & similes in frigiditate, simile autem in simile non agit, ex quo fit non citius plures partes propriam frigiditatem acquirere, quam illam acquireret pars aquæ separata, cum separata, & vnita ipsa sola concurrat eodem modo ad propriam frigiditatem producendam. Iam si lapidem deorsum descendentem respectu proprii motus, & effectus quem in se producit, inspicimus ex hoc capite præcisè eodem modo se habet ac aqua respectu suæ frigiditatis adquirendæ, quia quo maior est lapis, maior est præsentia producenda, & quælibet pars lapidis suam propriam producit præsentiam. Si verò consideretur virtus lapidis siue identificata siue distincta à substantia lapidis respectu effectus, quem producit in passu propinquo, longe aliter se habet. Quia omnes partes lapidis per modum vnus indiuisibilis principij concurrunt ad effectum producendum in qualibet parte aëris, & ita quo plures sunt partes lapidis celerius, & intensiorem effectum producant in aëre, & ita citius aerem propinquum mouet illiusque vincunt resistentiam, quæ retardat motum lapidis, ex quo fit citius posse contrarium vinci, & lapidem ipsum moueri, & ex hoc capite optima & adæquata disparitatis ratio posset desumi. Accedit quod non ex eo quod crescat lapis, & cum illo virtus, quæ resistentiam corporis contingit vincere debet, eadem proportionem crescere resistentiam passu contrarij, quantumvis lapis crescat secundum profunditatem, si non crescit secundum superficiem infimam, per quam tangit aerem in hoc instanti remouendum, vt in hoc instanti moueatur, nihilo crescit resistentia contrarij in hoc instanti vincendi vt in hoc instanti moueatur, licet crescat virtus quæ resistentia passu expugnanda est. Res est manifesta. Pone corpus graue cuius superficies immediate attingens aerem immediate sub illo contentum sit vndique palmaris, quod in his quatuor temporibus instantibus mouetur versus terram, per quatuor indiuisibilia spatij versus centrum: corpus hoc siue altitudinem habet duorum siue quatuor palmorum eandem resistentiam debet vincere in illa mensura, in quo mouetur per illa quatuor indiuisibilia spatij, quia easdem partes aëris debet expellere: ergo ex altitudine, seu profunditate huius corporis non crescit resistentia aeris ad motum faciendum per illa quatuor indiuisibilia versus centrum, sed sic est, quod crescit virtus, quæ resistentiam hanc est victura, quia aër non solum expellitur à partibus corporis, quæ in illius spatium succedunt, sed ab omnibus etiam superioribus, omnes enim per modum vnus producant impulsu in aëre remouendo: ergo crescente lapide, qui se mouet secundum profunditatem semper crescit virtus quæ vincenda est resistentia passu, non tamen crescit resistentia passu, nisi quatenus mobile crescit secundum superficiem illam immediate tangentem aerem contentum sub corpore mobili.

8 Ex his rationem facile percipies, cur tabula, & quodlibet aliud corpus expansum tardius mouetur, cum illius expansio, dum mouetur, respicit centrum, & secundum totam suam planitiem aliam æqualem aëris planitiem remouet, & velocius quando superficies planæ latera aëris respiciunt, & tantum per partem extensam aerem offendit, quia cum sic cadit, potiores aëris partes pluribus partibus corporis, quas supra se habent impetuntur, quando verò primo modo mouentur; quælibet pars aëris remouenda potiores partes aeris quibus vincatur, supra se habet, quælibet enim pars aëris existit in medio, per quod fit motus, illis tantum partibus aëris quas directè supra se habet impetitur, vt à propria sede demouetur. Ex hoc capite optimum discrimen desumitur propter quod crescente profunditate corporis mobilis crescat velocitas motus localis, cum crescat virtus contrarij vincendi, & non crescat contrarij, neque huius resistentia, & crescere aqua calida non crescat velocitas motus alterationis, quia eo ipso quod maior sit aqua calida restituens se in pristinum frigiditatem crescit necessariò qualitas expellenda, & cum ipsa resistentia innata eidem qualitati, quæ se in-

T t 2 tendit



tendit in subiecto extraneo tueri. Probat alij grauitatem, & leuitatem esse qualitates, quia sensu tactus percipiuntur. Huic argumento recte respondet Arriaga grauitatem, & leuitatem non in se ipsis tactu sentiri, qui tantum percipit impulsu ab illis productum, ex quo intellectus grauitatem infert per discursum, quia si ego manum supponam fornici, illius grauitatem non sentio, ex eo tantum quod aliunde sustentatur, & manui non imprimit impulsu, vt moueatur.

9 Recentes illi, qui asserbant grauitatem, & leuitatem tantum differre penes magis & minus, eo tantum nituntur fundamento, quod existiment rem ita posse sine multiplici qualitate, & earum oppositione componi.

## §. II.

*Propria sententia.*

10 **P R I M A C O N C L V S I O :** Grauitas & leuitas non identificantur cum substantia. Probat hanc conclusio ex accidentibus Eucharisticis: destructa substantia in hostia consecrata grauitant, & innato pondere deorsum descendunt, ergo remanet grauitas in his accidentibus: ergo separatur a substantia: ergo ab illa distinguitur. Communis solutio est in accidentibus Eucharisticis nullam manere grauitatem, neque principium aliquod motus deorsum, sed Deum effectiue mouere illa accidentia eo modo quo mouerentur, si ibi esset grauitas identificata cum substantia, ne ratione naturali notum fiat mysterium Eucharisticum, quod merito nostrae fidei alta Dei prouidentia referuauit. Neque ideo, ait Arriaga, multiplicantur miracula, potius iuxta hunc dicendi modum, quoddam aufertur miraculum, videlicet grauitatem, quae sit accedens, & substantiae affectio, existere sine subiecto, & sine substantia, quam afficiat. Neque ad veritatem mysterij Eucharistici sincerè defendendam, magis refert hac, vel illa ratione, philosophari, tantum enim fide nobis tenendum est in hostia consecrata desinere esse substantiam panis, & reliqua accidentia superaddita eidem substantiae (mirro praesentia substantiae, etsi quos alios modos proprios habeat superadditos, ibi permanere) quae verò accidentia superaddita substantiae conueniant, vel non, quae verò affectiones substantiae cum illa identificentur, negotium est purè philosophicum ad veritatem mysterij nullatenus spectans. Solutio hac satis probabilis est, verumtamen magis feror in partem, quae negat Deum perpetuo miraculose mouere accidentia Eucharistica, vt celet mysterium, nulla enim ratione de hoc miraculo nobis constat, neque vnquam illud Patres, qui soletter mysterium hoc fidei lumine inspicere, egregieque illius supra naturam excellentiam commendauerunt, talis meminere miraculi, communisque ferè omnium Philosophorum, & Theologorum sententia ne frequentia alia miracula concedat in productione accidentium, quae speciebus consecratis superueniunt, quantitatem superadditam admittit, ex qua tanquam ex subiecto communiter educantur, ne miraculosa creatio in cuiusvis accidentis productione concedatur. Neque verum est, quod ait Arriaga in sua sententia miraculum vitari, quod aliorum sententia concedere teneatur, quia grauitas, etiamsi distinguatur a substantia, in multorum sententia non distinguitur a temperamento primarum qualitatum, & etiamsi distinguatur, naturaliter conseruatur educta ex quantitate, sicuti naturaliter educitur nouus calor ex quantitate Eucharistica, sine substantia existente, non enim speciale miraculum est quodlibet accedens sine substantia conseruari, supposito miraculo, quo quantitas sine subiecto conseruatur.

11 Eandem conclusionem efficacius probo: grauitas, & leuitas non identificantur cum materia vt perspicuum est, eadem enim materia sub hac forma grauitat, & sub illa leuitat: non identificatur cum forma: ergo est quid distinctum a materia, & forma, & consequenter a toto composito, nullus enim dicit identificari cum vnione, quae tantum superest in composito identificato cum materia, forma, & vnione. Grauitatem non identificari cum forma compositi grauis patet in homine, cuius forma spiritalis est, & per se ipsam non grauitat, grauitaret autem si secum haberet identificatam grauitatem. Respondet Arriaga, idem argumentum fieri posse de potentia visua, & nutritiua, & specialem difficultatem in hac materia non habere, quia sicuti diximus animam rationalem habere potentiam visiuam identificatam secum, & non posse in se ipsa visionem

producere, dum est separata a materia, neque in illo tantum videntem constitui, sic dicere possumus habere secum identificatam grauitatem, quae est potentia locomotiva, & non posse in statu separationis motum deorsum, qui est proprius effectus grauitatis producere, neque se ipsam in illo statu innata grauitate mouere, quia motus iste, sicuti visio dependet a materia, & ab aliis accidentibus materiae inhererentibus. Difficultatem non fugit Arriaga est enim diuersa ratio de grauitate, & de potentia visua, haec enim productiua est visionis, quae est accedens corporeum, non potens educi ex subiecto spiritali, neque produci sine concursu specierum, quae in materiali subiecto recipi debent, ac proinde actio productiua visionis ex natura sua supponit subiectum materiale, ex quo educatur, & in quo recipiantur alia principia, videlicet species, a quibus dependet, & hinc fit non posse dari visionem sine materia, neque produci a forma in separationis statu, terminus verò producendus a grauitate tantum est praesentia localis rei grauis, actio a grauitate procedens tantum est motus localis, ex vi cuius producit hanc praesentia, sed praesentia localis animae, neque actio productiua illius ex nullo capite indiget subiecto materiali: sed optimè ex ipsa anima educitur, neque principium aliquod excogitari potest, ratione cuius indigeat materia, sicuti innumera reperiantur in nutritione, & in aliis actionibus vitalibus: ergo si anima separata habet hanc potentiam locomotiuam, cum ipsa sit necessaria, & nulla ratione subdita imperio voluntatis, necessario reducitur ad actum, & anima separata grauitate cum illa identificata deorsum naturaliter in separationis statu descendit. Confirmatur: Principium productiuum non dependet in operari ab illo, a quo terminus producendus non dependet in instanti, in quo fit, neque in vterioribus, sed praesentia, quam acquireret anima motu deorsum nullo modo penderet a materia, neque ab aliis accidentibus, si illius principium productiuum tantum esset anima: ergo anima absoluta a materia, & reliquis omnibus accidentibus corporeis moueretur motu deorsum, si secum haberet identificatam grauitatem, quae est principium per se ad talem motum determinatum. Neque dici potest grauitatem identificatam cum anima immediate, & per se ordinari ad motum materiae cui vnitur, & non ad motum ipsius animae, quia grauitas illud per se mouet, quod per se graue constituit, idem enim est graue, ac propendens in motum deorsum, sed grauitas identificata cum anima primo, & per se constituit grauem ipsam animam: ergo primo, & per se illam debet mouere.

12 Fateor rationem hanc tantum immediate in hominem euincere, cuius forma spiritalis est, verumtamen ex homine argumentum conficitur ad probandum eodem modo contingere in aliis compositis, si enim in homine datur grauitas distincta ab illius substantia, saltem concluditur in reliquis compositis ex se possibile esse grauitatem distinctam, a qua motus deorsum procedat. Deinde si in homine non distinguitur grauitas a temperamento primarum qualitatum, sic etiam manifestè conuenit temperamento primarum qualitatum sufficere ad constituendum corpus graue, & superflue poni grauitatem accidentalem identificatam cum substantia. Demum si in homine grauitas accidentalis resultat ex temperamento primarum qualitatum, eadem resultabit in aliis compositis, & omnia grauitate accidentali, & superaddita graui constituantur, duplicemque grauitatem habebunt, substantialem vnā, accidentalem aliam, si formae substantiales illorum grauitatem habent identificatam. Alia ratio desumitur ad eandem conclusionem probandam ex vaporibus, & exhalationibus terra, quae secundum substantiam non distinguuntur a terra, & aqua, & tamen sunt leues, in quibus apparet separata grauitas ab aqua, & terrae formis, quod signum est euidentis distinctionis, verumtamen hac ratione iam vtriusque tertiam conclusionem probandam, qua praecedens magis stabilietur.

13 **S E C V N D A C O N C L V S I O.** Grauitas, & leuitas non distinguuntur a primis qualitibus permixtis. Ratio est: nullum est fundamentum, neque vlla ratio, ad concedendas qualitates distinctas a primis, quae sint principium motus sursum, & deorsum: ergo primis qualitibus possunt hi motus tribui absque aliarum qualitatum multiplicatione. Confirmatur: si darentur grauitas, & leuitas qualitates speciales, haec deberent oriri a temperamento qualitatum, vt probabo conclusione 3. ergo ab eodem potest



oriri motus deorsum, aut motus sursum, cur enim qualitates primæ, quæ dicuntur producere specialem qualitatem, quæ sit principium motus deorsum, non poterunt dici principia ipsius motus deorsum immediate productiua: quodve fundamentum reperiri potest ad dicendum motum non produci immediate à primis qualitatibus, sed ab alia qualitate intermedia? Dixi gravitatem & leuitatem non distinguui à primis qualitatibus permixtis, quod non ita intelligi, ut existimes gravitatem, aut leuitatē necessariò inuoluerē temperamētum quatuor qualitatum, quodlibet enim elementum duplici tantum gaudet qualitate, & tamen omnia leuitate, gravitateque gaudent. Imò in mixto graui, in quod fluunt omnes quatuor primæ qualitates, existimo non omnes per se conducere ad motum deorsum, sed quādam intendere motum sursum, & alias motum deorsum, in quibus illæ prævalent, quæ intensiores, & efficaciores sunt, v.g. frigiditas intendit corpus deorsum mouere, calor illud intendit mouere sursum, præualeat frigiditas in calorem, quia intensior, & absolute corpus graue denominatur, illiusque grauitas taxatur mensurā omnium qualitatum, quādam, quia per se conatur motum deorsum, aliarum quia ratione ipsarum non crescit conatus ad motum deorsum accretione seu intensione qualitatum, quæ per se illum intendunt.

14 Illud quod ex Aristotele docent Conimbricæ, videlicet gravitatem, & leuitatem oriri non solum ex primis qualitatibus commixtis, sed ex raritate & densitate, sic iuxta mea principia interpretor. Corpora rara habent peregrina corpuscula intromissa, quorum plerique sunt aerea, hæc natura sua leuia sunt, & intendunt sursum corpus mouere, cuius conatus aliquantulum retardat ab actione seu motu conatum, quem habent qualitates corpori innatæ, quibus deorsum mouetur, & hac ratione licet in re rarum, & densum sit æquè graue, minus graue apparet, dum est rarum, non quia minorem conatū habeat ad motum deorsum, sed quia illum habet aliquantulum impeditū opposito conatu, quem aerea corpuscula intromissa exhibent, & ita minorem effectum producit, hoc est remissioem impulsū in corpore, quod occupat spatium, per quod dirigendus est motus, & hic tardior euadit, quod non contingeret, si mobile densum esset, nullaque includeret corpuscula leuitantia, quibus suus motus retardaretur. In opposita sententia, quæ plus materię concedit in eadem mensura corporis densi, quam rari, potest dici palmum corporis densi plus habere grauitatis quam habet palmus corporis rari, quia habet plus materię, & consequenter plus qualitates materię inherentes, facta tamen comparatione non inter extensiones æquales corporis rari, & densi sub quibus est magna inæqualitas partium entitatis, & secundum numerum, sed facta comparatione inter partes numero æquales secundum substantiam, & inter easdem numero ratiōfactas, & condensatas æquè græue fore corpus constans partibus raris, ac corpus densis partibus constitutum. Hæc ita componi possent nihil tamen prohiberet dici gravitatem specialem per se oriri à densitate, & leuitatem à raritate, si grauitas & leuitas, raritas, & densitas, speciales essent qualitates. Quid verò dicendū esse difficile erit definire, utrumque diffi- le poterit positū impugnari, & neutrum poterit positū fundamento suaderi, quia in his tota ratio ex experientia est sumenda, & hæc tantum non potest docere corpora densiora esse grauiora, an verò grauitas oriatur ex densitate tanquam ex principio, an verò immediate ex illis qualitatibus, à quibus oritur densitas, ita ut densitas, & grauitas concomitantur ab eodem oriatur principio, res est quæ omnem experientiam subterfugit.

15 TERTIA CONCLUSIO. In sententia, quæ gravitatem, & leuitatem, in qualitatibus specialibus constituit, hæc non oriuntur immediate à formis substantialibus, sed à primis qualitatibus, in quibus nos constituimus gravitatem formalem. Probo hanc conclusionem: aqua, & vapor, qui ex aqua vi caloris extrahitur, retinent eandem formam, & tamen aqua est grauis, & vapor levis: ergo grauitas, & leon proveniunt immediate à forma, sed à qualitatibus, siquidem permanente eadem forma, & variis qualitatibus corpus, quod antea grauitabat, postea leuitat. Respondetis: eandem formas cum his qualitatibus, quæ se habent tanquam conditiones producere gravitatem, & cum illis producere leuitatem: sed eadem causa, v.g. Sol cū his dispositionibus tenentibus se ex parte materię producit hanc substantialem formam, & cum illis formā aliam

specie distinctam producit. Contra hanc solutionem oppono nullum apparere conditionis genus, quod possint habere primæ qualitates respectu grauitatis, vel leuitatis producendæ, si grauitas, & leuitas speciales sunt qualitates, & effectiue procedunt tantum à forma substantiali. Exemplum ad rem non est, quia formæ substantiales supponunt ex parte materię certas dispositiones, & ita forma specie distincta distinctas supponit, ad quarum exigentiam producit forma huius speciei distincta ab omnibus aliis, grauitas autem, & leuitas, si qualitates sunt speciales, nullas supponent dispositiones, nulla enim qualitas supponit ex parte subiecti qualitates alias, à quibus non effectiue, sed dispositiue dependeat. Ex hac disparitatis ratione argumentum desumo ad hanc solutionem impugnandam. Nulla datur forma substantialis, quæ producat in se potentiam aliquam, seu principium operarium, ex natura sua permanens, & debitum à primo instanti generationis, quæ talem qualitatem, seu potentiam producat dependenter ab aliis qualitatibus tanquam à conditionibus: ergo sine fundamento dicitur formas substantiales producere gravitatem, & leuitatem qualitates speciales dependenter à primis qualitatibus tanquam à conditionibus.

16 QUARTA CONCLUSIO. Si grauitas, & leuitas speciales sunt qualitates distinctæ à primis, inter se distinguuntur, non solum secundum magis, & minus, sed secundum naturam specificam eo modo, quo distinguuntur calor, & frigus, albedo, & nigredo. Hic dicendi modus sic posset intelligi, ut omnibus elementis idem centrum, in quod per se tendant assignetur, & sicuti terra, & aqua idem centrum respiciunt, tamen aqua descendit sub terra, quia fortius petit in centrum, sic aqua, aer, & ignis in idem centrum peterent, verum tamen aqua esset sub aere, quia media qualitate intensiori, & sic maiori impetu & conatu tenderet in centrum, & aer sub igne, quia maiori vi, & intensiori qualitate, quam ignis tenderet in centrum, quem dicendi modum, haud obscure tradunt recentes patrones sententiæ cui nostra conclusio contradictoriè opponitur. Sententia hæc in hoc sensu tradita ab omni veritatis specie aliena est, ex illa enim infertur manifestè ignem per se non intendere moveri sursum, sed de facto ascendere, quia reliqua elementa fortius illo petunt ad terræ centrum descendere, & ita de facto descendunt, & ponuntur sub igne, qui impeditur aliis elementis remanet in superiori loco, sicuti aqua impedita grauiori terræ remanet supra terram, etiam si ipsa petat ex sua natura esse in centro, quod terra occupat. Infertur etiam motum ignis deorsum non esse naturalem, sed violentum, quia non ordinatur in proprium centrum, neque per hunc motum accedit ignis ad centrum, quod exigit, sed potius ab illo recedit, non motus à se, sed motus virtute aeris, quæ vincit virtutem ignis, & ita ex vi illius aer constituitur sub igne, & hic remanet in eminentiori loco, sicuti cum corpus terreum ponitur supra aquam statim descendit, & ascendit aqua, quæ manet supra illud non motu naturali, sed violento. Dicere autē motum ignis sursum violentū, esse insanum est. Quia enim ratione ignis motu violento velocissimè ciceretur, quæ ratione, quo intensior esset ignis velocius maiori que conatu ascenderet, cum potius, si motus ille violentus esset, quo ignis esset magis exiguus, facilius vinceretur gravitate aliorum elementorum, & consequenter velocius deberet ascendere.

17 Demum quomodolibet intelligatur sententia omnino est à veritate aliena, quia si grauitas, & leuitas tantum differrent, penes magis & minus, utriusque exigentia, quoad substantiam, & quoad modum esset eiusdem rationis, & differret penes magis & minus, quia minori, maiori impetu secundum maiorem, & minorem intensiōem eundem effectum eadem ratione producendum, maiori minoriue velocitate, & intensiōe, si intensiōis esset capax, utraque exigeret. Secundò, si ignis propria vi, & interno conatu ascendit sursum, quod negare nefas est, in bona Philosophia, quomodo intelligi poterit velocius ascendere, quo minus habet virtutis, seu qualitatis, cuius virtute ascendit, & maiorem velocitatem motus, maioremque impulsū aliis corporibus impressum, ut igni ascendenti motum præstent, oriri ex maiori remissione, hoc est, ex maiori negatione virtutis eiusdem rationis, cum illa, cuius vi ignis de facto mouetur. Secundò ignis qui tribus gradibus qualitatis naturaliter sursum ascendit, cur tribus aliis gradibus eiusdem rationis prioribus adiunctis ab illo motu deliteret, & motum alium deorsum intenderet, quomodo enim augmentum



augmentum virtutis, à qua effectus procedit poterit effectum impedire, & alium oppositum producere? Hoc renuit omnis bona philosophia, & quælibet mediocriter ordinata apprehensio.

- 18 Dicunt aduersarij eundem impulsu posse esse principium motus sursum, & motus deorsum, ita eadem ratione posse eandem qualitatem esse principium motus deorsum in terra, & motus sursum in igne. Ad rem non est prædicta instantia, non enim doctrinam traditam impugno, ex eo quod non possint ab eodem principio motus diuersi & oppositi procedere, sed quia intelligi nequit ab hac virtute in hac intensiōis mensura procedere hunc effectum, & ab eadem in alia maiori non posse hunc effectum provenire, sed alium oppositum producendum, quia effectus ille, v.g. motus sursum non poterat procedere ab hac qualitate intensi ultra tot gradus, sed ita procedat ab hac, ut quo magis remitteretur virtus, citius & intensior produceretur effectus, quod omnino est imperceptibile, & quidquam aliud simili in impulsu non ostenditur. Quia, qui asserunt eundem impulsu esse principium motus sursum, & deorsum, sub eadem intensiōe indiuisibiliter sumpta asserunt posse esse principium vtriusque motus, & non negant impulsu, qui sub hac exigua intensiōe est principium huius motus, posse esse principium eiusdem sub quacunque alia maiori, sed affirmant eundem impulsu sub eadem indiuisibili intensiōis mensura diuersis conditionibus obfistentis, vel proicientis determinatum posse esse principium diuersorum motuum, quia idemmet secundum essentiam, & intensiōem indifferens est ad hunc motum deorsum, vel illum sursum producendum.

- 19 QUINTA CONCLUSIO. Si grauitas, & leuitas essent accidentia specialia specie distincta, adhuc certum non esset, an immediatè in se ipsi vna expelleret aliam, sicuti mutuò expelluntur calor, & frigus, & alia qualitates contrariæ. Probos: si ex aliquo capite contrarietas harum qualitatum deduceretur maximè, quia ordinantur ad motus impossibiles, hoc autem rem non probat, quia grauitas, & impulsus, quo mouetur corpus deorsum, ordinantur ad motus oppositos, & tamen non mutuò expelluntur, neque impulsus habet contrariam formam expellentem, ut probaui Controuers. 20. Physic. Punct. 3. ergo ex hoc capite non inferitur contrarietas harum qualitatum, possent enim vtraque in eodem subiecto recipi, & illa quæ esset intensior, seu maioris virtutis corpus mouere contra alterius propensionem. Sic in intellectu componuntur species ex se productiue assensuum in objecta contradicentia, & apprehensiones, quæ in hos assensus inclinabant, & intellectus determinatur ad hunc assensum, ex vi harum specierum, & huius apprehensionis, quæ euidentius proponebat obiectum.

### §. III.

#### Argumenta soluta.

- 20 Obicit Arriaga contra conclusionem, qua diximus grauitatem, & leuitatem non distingui à primis qualitatibus. Accidentia tantum petunt esse in loco, vbi est subiectum, neque petunt spatium distinctum ab illo, quod habet subiectum: ergo non potest consistere grauitas, aut leuitas, ex vi quarum mouetur corpus in aggregato qualitatibus. Antecedens probat experientia lucis, & aliorum accidentium, quæ comitatur quodcumque corpus. Hoc argumentum, quod adducit Arriaga contra opinionem, quæ grauitatem, & leuitatem constituit in aggregato accidentium, posset etiam adducere contra illos, qui asserunt grauitatem & leuitatem qualitates esse speciales, sed æquè inutiliter, ut constabit ex solutione, quam iam subiicio, Resp. omnia accidentia exigere non separari localiter à subiecto, cui insunt, quia illa, quæ virtutem non habent mouendi corpus, ad motum corporis necessariò mouentur, illa verò quæ corpus mouent sicuti grauitas, & leuitas, petunt non separari localiter à subiecto, quia non possunt subiectum mouere, & permanere immobilia, sed petunt necessariò moueri simul cum eodem subiecto, quod mouent, & hac ratione petunt non separari à subiecto, æquè enim est inseparabilis à subiecto lux, quæ nequit subiectum mouere, & non potest, dum illud mouetur, non cum illo moueri, & quodlibet aliud accidens, siue distinctum, siue indistinctum à primis qualitatibus, quod potest mouere corpus, ea tamen conditione, ut simul cum illo moueatur, & non

potest subiecto moto, cum illo necessariò non moueri.

Obicit secundò: Si grauitas, & leuitas consistenter in aggregato primarum qualitatum, ignis & terra non summe opponeretur in grauitate, & leuitate, quia non summe opponuntur in qualitatibus, conueniunt enim in siccitate, ergo grauitas, & leuitas non consistit in aggregato qualitatibus. Respondeo corpus illud dici grauius, quod maiori conatu, seu maiori impetu mouetur, qui motus indiuisibiliter provenit à qualitatibus diuersis, quæ dicuntur vnam efficere grauitatem, & hanc posse esse summe oppositam cum leuitate, etiam si qualitates seorsum sumptæ non summe opponantur, potest enim harum aggregatum summe opponi cum aggregato illarum in ordine ad motus, quos intendunt aggregata, etiam si entitatiue secundum se non summe opponantur, possunt enim oriri effectus summe oppositi à principiis secundum se non summe oppositis, præcipue, quando principium cuiusque effectus, est si vnum principium per se influens, entitatiue non est vnum per se, sed quoddam aggregatum per accidens.

Obicit tertio idem Arriaga: si grauitas, aut leuitas consistenter in aggregato primarum qualitatum, eo ipso quod aggregatum esset diuersum, esset diuersa grauitas: & leuitas: sed qualiter qualitate variata variatur aggregatum, ergo variaretur grauitas, & leuitas. Sed sic est, quod etiam si varietur vna vel altera qualitas manet eadem grauitas, & leuitas, ut videre est in ferro, quod æquè graue est dum est frigidum, & dum est candens, & valde intense calidum, ergo grauitas, & leuitas non consistit in aggregato qualitatibus. Huic argumento, quamcumque amplectaris sententiam respondere teneris, si enim dicas grauitatem, & leuitatem esse speciales qualitates ortas ex aggregato qualitatibus, eadè te premit difficultas, teneris enim rationem reddere, cur ex diuerso aggregato, quod est dum ferrum est frigidum, & dum postea igni applicatum ingentem calorem concipit, oriatur eadè grauitas. Si cum Arriaga dicas motum sursum, & deorsum oriri immediatè à formis substantialibus, saltem debes dicere, quod tradit Arriaga, videlicet eandem formam cum his accidentibus producere motum deorsum, ut respondeas argumento, delumpto ex aqua, & vapore, in quibus est eadem forma, & aqua mouetur deorsum, & vapor sursum. Respondeo hunc motum deorsum cum hoc impetu oriri ab hoc aggregato qualitatibus, & ab aliis quæ possunt esse intra certam latitudinem harum qualitatum, ita ut non maior motus, neque maiori impetu oriatur à calore ut quatuor, v.g. quàm à calore ut sex adiunctorum eiusdem qualitatibus, & sic de aliis. Hac ratione idem provenit motus à ferro calido ut quatuor, & calido ut sex, & dicitur æquè graue, quia grauitatem à posteriori metimur per motum, & illa principia siue in se magis minusve intensa, grauitatem æqualem dicimus constituere, quæ æquè in motum propendunt. Hac doctrina tenemur vti respectu colorum, quos dicimus oriri ex aggregato qualitatibus, & nihilominus sæpe videmus corpus modo parum calidum, quod absolute frigidum vocamus, & postea valde calidum retinere semper eundem calorem.

Obicit quartò: Difficile posse percipi, cum grauitas sit passio formæ, & non dispositio ad illam, quomodo variatum sit temperamentum primarum qualitatum sufficienter ut mutata sit grauitas in leuitatem, & tamen non fuerit sufficienter mutatum pro forma substantiali, cuius per se est passio ea grauitas. Si difficultas hæc alicuius est momenti, in eadem coniectus est Arriaga, quod facile leuincam. Affirmat Arriaga eodem n. 85, vbi prædictam obiectionem adducit, quod etiam si grauitas sit identificata cum substantia nihilominus indigere certis accidentibus, ut actu possit grauitare, & corpus deorsum mouere, quibus deficientibus corpus graue virtutem non habet actu secundo conferuandi se in loco sibi debito, quod contingit in aqua ad vapores redacta, quæ virtutem non habet deorsum descendendi. Ex hac doctrina argumentor: Aqua intrinsecè per suam entitatè grauis seu potens se deorsum mouere, exigit ex natura sua accidentia illa necessaria ad motum, siue hæc passio appellatur, siue non: ergo intelligi non potest deficere accidentia, seu primas qualitates requiritas, tanquam conditiones, ut aqua se moueat deorsum, & oppositas aduenisse, & adhuc permanere qualitates requiritas ut dispositiones, ut subsistat forma. Quod libere percipit Arriaga posse deficere qualitates primas requiritas ut conditiones ad motum deorsum, & non deficere requiritas



requisitas vt dispositiones ad formam conseruationem, & aduenire oppositas sufficientes expellere alias, quæ erant conditiones ad motum, & non sufficientes expellere requisitas & sufficientes ad permanentiam formæ antiquæ, cur non percipiet posse deficere qualitates requisitas, vt possit permanere principium actuum motus deorsum, & adhuc permanere requisitas vt possit permanere forma antiqua, & aduenisse qualitates sufficientes, vt sint principium motus sursum, & vt expellant alias, quæ requirebantur, vt mouerent corpus deorsum, & non aduenisse qualitates sufficientes, vt ultimo disponant ad aliam formam, & vt expellant qualitates quæ sufficienter ad antiquam disponunt. Resp. ergo in latitudine qualitatum, quibus hæc forma substantialis, v.g. forma aquæ potest conseruari, repetiri quoddam aggregatum qualitatum, quod quædam deorsum mouet, & dicitur grauitas, & aliud quod eandem sursum fert, & leuitas dicitur. Neque inde inferas aquam ex natura sua æquè esse indifferentem ad grauitatem, & leuitatem, quia aqua ex se petit illud aggregatum qualitatum ex vi cuius deorsum descenderet, & hac ratione ex se grauis dicitur, illud autem ex vi cuius ascenderet, non petit, sed tantum poterit cum illo compati, & sub illo, etsi cum aliqua violentia, sicut ex ista forma aquæ cum calore illi violento. Quomodo verò grauitas, & leuitas sint passio forme dicam postea.

24 Obiicies vltimò ex eodem Arriag. in viuientibus virtus locomotiva non distinguitur ab ipsa anima: ergo in non viuientibus, grauitas & leuitas, quæ sunt virtutes motiue ab illorum formis distinguende non sunt. Respondeo virtutem locomotiuam viuientium, quæ se progressiue mouet, non posse identificari cum primis qualitativis, quia motus procedens à virtute locomotiva viuētis subditus est actibus appetitus rationalis in homine, & appetitus sensitiui in brutis; motus autem procedens à quatuor qualitativis non subditur alicui actui elicito, neque grauitas, & leuitas obedit appetitus imperio, & ita necessum est dari virtutem locomotiuam in viuientibus distinctam à primis qualitativis quam dicimus identificari cum ipsa viuētis forma, seu cum ipsa anima. In non viuientibus autem grauitas, & leuitas possunt identificari cum primis qualitativis, & ita necessum non est has esse identificatas cum anima. Mitto rationes omnes, quibus probauimus grauitatem, & leuitatem distinguere à formis corporum grauium, & leuium à quibus optima fumetur disparitatis ratio ad nostram conclusionem defendendam.

## §. IV.

## Nonnulla corollaria.

25 Ex his inferitur grauitatem, & leui arem esse virtutes quasdam locomotivas compactas ex conuento diuersarum qualitatum primarum, ex quibus fit vnum aggregatum per accidens, quod est principium effectuum, quod grauitati, & leuitati tribuimus. Effectus isti sunt motus sursum, atque deorsum, hic grauitati, ille leuitati competit. Præter hos effectus, qui primario grauitati, & leuitati cōpetunt, est alius qui potest dici secundarius respectu eorumdem virtutum, videlicet impulsus productus in corpore replente spatium, per quod dirigendus est motus, corpus enim graue propria grauitate non solum se ipsum mouet, sed etiam impulsum imprimi corpori occupanti spatium, per quod suum intendit dirigere motum, vt relinquit spatium, quo non relictò, non mouetur corpus graue retardatum corpore occupante spatium motu acquirendum, quia graue mobile non potest se penetrare cum alio corpore, ac proinde neque moueri propria grauitate per spatium, à quo non pellit aliud corpus occupans tale spatium. Impulsus iste impressus corpori, vt spatium relinquit corpori graui intendenti se per illud moueri, dicitur effectus secundarius non quia immediate ab ipsa grauitate non procedat, neque quia supponat primarium effectum eo modo, quo expulsio formæ, quæ dicitur secundarius effectus, supponit informationem, seu totum constitutum tanquam effectum primarium, sæpe enim producit iste impulsus in corpore contiguo, quem secundarium effectum vocamus, & non producit motus corporis grauis, quem dicimus esse primarium effectum, vt patet in lapide immoto, qui

impulsus imprimi corpori supra quod est positus, sed dicitur secundarius, quia corpus graue quasi ex intensione se mouendi impulsus imprimi corpori occupanti spatium, per quod intendit se mouere, quod ex eo constat, quod non imprimi similem impulsus corporibus lateralibus, neque à parte superiori illi impossibilis, etiam si illis sit applicatum, sed tantum corpori quod impedit illius motum replendo spatium, per quod ex vi grauitatis motus intenditur.

26 Inferitur secundò: Corporibus aliquando inesse grauitatem innatam, & iuxta propriam ipsarum exigentiam aliquando aduentitiam, & violentam eo modo, quo calor violentus aquæ, quæ ab extrinseco calefit. Grauitas, & leuitas innata erit illa, quæ consistit in aggregato qualitatum, quæ exigit natura corporis, quod graue dicitur, & violenta erit illa, quæ consistit in aggregato qualitatum, quarum aliquæ corpori quod dicitur graue violentæ sunt. (Idem de leuitate in omnibus intellige.) Grauitas innata passio poterit dici corporis grauis, eo modo quo dicitur passio temperamentum qualitatum, quod disponit ad formam substantialem, rectè enim eadem primæ qualitates possunt dici dispositiones ad formam substantialem, & passiones eiusdem, omnes enim asserunt calorem esse passionem formæ ignis, & dispositionem ad eandem formam. Grauitas aduentitia aut violenta nunquam dicitur passio corporis, quod dicitur graue, quia de ratione passionis est esse quid innatum & connaturale subiecto, cuius dicitur passio. Neque grauitas, aut leuitas dici possunt aliquando dispositio ad formam, nisi valde materialiter sumantur: grauitas enim dicit aggregatum qualitatum quatenus potens producere motum localem, & impulsus, sub qua ratione formaliter non disponit, sed quatenus subiectum informat, ita vt si ab illo aggregato mente præscindas totam rationem principij actiui motus, ex vi cuius dicitur grauitas, adhuc remanebit tota formalis ratio dispositionis ad aliam formam, ad quam tantum materialiter primo modo dicendi per se tanquam quid identificatum cum eisdem qualitativis spectat ea virtus productiua motus, & impulsus identificata cum qualitativis, quæ disponunt.

27 Infero etiam contra Arriag. subiect. 2. n. 89. & alios plures, grauitatem, & leuitatem non esse prædicata respectiua, ita vt corpus, quod respectu vnus graue est, respectu alius leue sit, vt vulgo dicitur de aqua, quæ à multis appellatur grauis respectu aeris, & leuis respectu terræ, & sic fertur de aère respectu aquæ, & ignis, qui respectu huius grauis dicitur, & leuis respectu illius. Aqua enim absolute est grauis, & respectu nullius leuis dici potest, sed minus grauis, & aër absolute est leuis, & respectu ignis dici nequit grauis, sed minus leuis. Rationem accipe: graue est illud, quod ex sua natura tendit deorsum, & leue quod tendit sursum, aqua autem ex natura sua idem centrum habet cum terra, neque ex se petit esse super terram, neque naturaliter ascendit, vt sit supra illam, sed quia terra grauior est, ascendit, & sub aqua constituitur, & cogit aquam sursum ascendere motu violento, vt locum præster terræ, quæ maiori grauitati, & fortiori impetu petit approximationem cum centro. Huius doctrinæ fundamentum esto, aquam vbicumque super terram ponatur grauitate, & impulsus imprimere, vt deorsum descendat, ex vi cuius, si terra mobilis sit, & non nimis firma impulsu impresso ab aqua illi superposita deprimetur. Eadem ratione philosophandum puto de aère & igne, quibus idem centrum leuitatis assigno, in quo tendit vtrumque elementum, cui propius accedit ignis, quia leuior; & aër sub igne continetur, eo modo, quo aqua super terram, quia igne cogitur non magis ad centrum accedere, vt supersit locus centro vicinior igni leuiori, & ita dum descendit aër, vt ascendat ignis, ille aeris descensus violentus est aëri, sicuti violentus est ascensus aquæ, vt descendat terra. Hæc de grauitate & leuitate, & de tota elementorum materia dixisse sufficiat ne in re leui grauiorem, quam par est, disputationem instituiamus. Qui quæstiones alias desideret, quæ plus volupratis, quam vtilitatis habent, adeat Conimbr. Patres, qui illas concinnè, eleganter, & eruditè vt assolent definiunt, Petrum Garciam, & Ludouicum Mercatum locis sæpè in hac Controu. citatis, qui omnia quæ ad elementa pertinent ad fatietatem vsque scripsere.



